



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per
sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Caput Primum. Cælum & globus terraques.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54773)

CAPUT PRIMUM.

Cælum & globus terraqueus.

§. I.

Cælum Empyreum, Deus, & Cœlites.

QUàm sordet mihi terra, dum cælum aspicio.
Vulgare erat S. P. N. suspirium: imò,
quid mihi est in cælo, & à te quid volui super ter-
ram? defecit caro mea & car meum Deus cordis
mei, & pars mea Deus in æternum. Ps. 72. Er-
gò non tantùm terra, sed ipsum etiam empy-
reum cælum desipit sine Deo, seu ejus visione
& fruitione, quia hic tanquam finis meus uni-
cus & centrum cordis mei potest satiare animam
meam juxta illud Aug. *Fecisti nos Domine, &*
sic est, ut irrequietum sit cor nostrum, donec re-
quiescat in te.

Deus Trinus in personis unus in natura.

TRes sunt qui [hujus veritatis] testimonium
dant in cælo: Pater, Verbum & Spiritus San-
ctus, & hi tres unum sunt. 1. Ep. Joan. 5. Mul-
tæ animæ in purgatorio torquentur pœnâ dam-
ni, eò quòd corporibus suis unitæ ad visionem
& fruitionem Dei unius Trini in personis non
satis frequenter & ardentèr suspirarint. S. Greg.
Hom. 30. in Ev. in his verbis Ps. 32. *Verbo Da-*

6 Pars secunda de elevatione
mini celi firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis
virtus eorum. Advertit contineri mysterium SS.
Trinitatis.

Pater Filius.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum uni-
genitum daret. Joan. 3. Ipse Dei Filius in
sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam
Sponsus procedens de thalamo suo exultavit ut Gi-
gas ad currendam viam. A summo celo (tem-
pore Incarnationis) egressio ejus, & occursum
ejus usque ad summum ejus. Nec est, qui se ab-
scondat à colore ejus. Pl. 18. Cujus enim cor
amore tanto permotum non liquefceret?

Spiritus Sanctus.

Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus
Altissimi obumbrabit tibi. Luc. 1. Quod in
ea natum est, de Spiritu Sancto est. Matth. 1.
Sicut ergo tres Personæ Divinæ de communi
consilio primum condiderunt hominem, di-
cendo: *Faciamus hominem ad imaginem & simi-
litudinem nostram.* Gen. 2. Ità quælibet de suo
quasi peculiariter contribuit ad ejus redem-
ptionem.

Triplex Idololatria species.

Homines, in quibus non est sapientia Dei,
aut ignem, aut spiritum, aut citatum aë-

rem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem & lunam, rectores orbis terrarum Deos putaverunt. Quorum si specie delectati Deos putaverunt: sciant, quanto his dominator eorum speciosior est. (Ecce una species Idololatriæ.) Nec his debet ignosci. Infelices autem sunt. (Ecce altera species) Et inter mortuos spes illorum est, qui appellaverunt Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis inventionem, & similitudines animalium. Sap. 13. Vel ipsa etiam animalia, Sap. 15. vel homines, & quidem sceleratos, ut Jovem, Venerem, &c. qua tertia est Idololatriæ species, pro Diis adorarent. Quod Idololatriæ genus jam dudum ante Græcos, Romanos, aliosve Gentiles initium sumpsit. Acerbo enim luctu dolens Pater cith sibi rapti filii fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cepit, & constituit inter servos suos Sacra & Sacrificia. Sap. 14. Hoc aliqui adscribunt Sarug proavo Thare, alii Thare patri Abraham, eò quòd filio suo Aran defuncto statuam posuerit; ideòque ab Abrahamo gravissimè reprehensus sit. Thare coævus Ninus, filius Nembrodt seu Beli, defuncto patri publicam quoque statuam, aras & templum extruxit.

His tribus idololatriæ generibus meritò indignaris tu adeò illuminate & scientiâ Sanctorum imbute Christiane. Interim, cum non fallat illud Pauli, quorum Deus venter est, tot tibi ipsi idola ac Deos fabricasti: quot, pravis affectibus obsecundans, creaturas Deo ter Opti-

8 *Pars secunda de elevatione*
mo Maximo anteposuiti. *O quam serò te amavi*
pulchritudo tam nova, tam antiqua. Unicè te
quarant imposterum toto me, toto te, toto
universo, ut in agone cum summo animi mei
solatio repetere possim: *Cor meum & caro mea*
[unicè] *exaltaverunt in Deum vivum.* Ps. 83.

Deus Homo.

Post Deum trinum & unum adora Deum ho-
minem. *Regem Regum, & Dominum domi-*
nantium, qui est A. & O. primus & novissimus,
Apoc. 1. Sedens ad dexteram Patris: qui per
viam crucis tibi disposuit, sicut & ipsi Pater ca-
lestis regnum. Luc. 22. *Osculare in spiritu glo-*
riosa ejus vulnera, de quibus ipse in Cant. pro
tota retro aeternitate praedixit: Haurietis aquas
in gaudio de fontibus Salvatoris, nec unquam
sudum caelum & rutilans firmamentum aspice,
quin suspires; ut quò praecessit gloria capitis,
& tu sequaris. Ascendamus cum Christo corde,
cùm dies ejus promissus advenerit, sequemur &
corpore. Resurrectio Domini spes nostra est,
ascensio Domini glorificatio nostra est. Ascenda-
mus cum illo, & sursum corda habeamus, sursum
cor non ad Dominum superbia vocatur, sursum
autem cor ad Dominum refugium vocatur. Vi-
detur frater magnum miraculum, altus est Deus,
erigit te, & fugit te, humiliat, & descendit ad
te, humilia de proximo respicit, ut attollat, alta, id
est, superba de longè cognoscit, ut deprimat. Au-
gust. serm. 2, de Ascens.

Dei-

Deipara.

SI ulterius oculos corporis in firmamentum, & oculos mentis in cælum empyreum fixos tenes, spectandam se tibi præbebit *mulier amicta sole*, Apoc. 12. *conterens caput serpentis*, Gen. 3. *luna perfecta*, totque aliis figuris in v. testamento adumbrata, Regina cælorum, Angelorum, hominum, Mater Dei, & Virgo immaculatè concepta, quæ in tui bonum Filio ostendit ubera, dum ipse Patri vulnera. O quale gaudium tibi in cælo erit esse inter hos tuos, intra quos in hac miseriarum valle se sistebat cum summo exuberantis animi gaudio Augustinus. O Mater ephœbi aut pedissequi adinstar te desidero comitari in cælis per totam æternitatem tecum cantans: *Magnificat anima mea Dominum*, in hac autem vita fideliter tibi serviam, indies mysterium Immaculatæ Conceptionis tuæ devoto cultu venerabor, gratulans: quod de te sola inter omnes puros homines gloriari nunquam in ævum possit Dæmon; quod vel unico sub ejus dominatu momento fuerit pretiosissima anima tua. O Mater inveniam gratiam in oculis tuis, jure enim *in sensu accommodatio* tibi applicat Ecclesia illud Prov. 8. *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Quis mihi te rapiet? nemo, quis me tibi? nemo, Filius ergo tibi, tu mihi Mater eris.

Angeli boni.

Reginam suam insequuntur pulcherrimi illi *administratorii spiritus, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates,* ad Coloss. 1. Cherubim, Seraphim, Archangeli, Angeli, quibus Deus mandavit de te. Luc. 4. His debitâ cum reverentiâ in spiritu salutatis, dic. *Benedicite Angeli Domini Domino. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.* Pl. 148. *Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.* Pl. 102. Calv. l. 1. Instit. c. 3. Omne id, quod Dyonisius in sua cœlesti Hierarchia scribit, irridet, & fabulosum vocat, & si S. Patrem cœvum Apostolis Doctorem & Martyrem sanctum calumniis appetit, quid cæteri ab ipso expectandum habebunt? sed nunquid Scriptura in textibus jam allatis diversitatem inter Angelorum gradus facit? & cum adæquata & sola sit fidei juxta ipsum regula S. Script. unde ex eâ solâ probat, S. Dyonisium fabulas hac in parte protrusisse? porro ex sensu PP. & DD. communiore *Angelorum* proprium est sibi commissos custodire, *Archangelorum* maxima quæque mysteria denuntiare, *Principatum* regna & eorum administrationem disponere, *Potestatum* Diaboli conatus elidere, *Virtutum* miraculis præsidere, *Dominationum* Reges & Principes fidelium maximè invincibiles reddere, *Thronorum* solium & sedem Dei esse,
Che-

Cherubinorum scientiâ redundare. *Seraphinorum* face caritatis in Deum ardere. Prima autem divisio videtur esse facienda in Angelos tanquam inferioris, & Archangelos tanquam ordinis superioris. Porro Angeli in infernum præcipitati vocantur

Dæmones.

ET hi varia in S. Script. habent nomina. Tob. 3. *Dæmonium nomine Asmodaus occiderat septem viros Saræ, mox ut ingressi fuissent ad eam.* Derivatur nomen hoc ab *Esch*, id est, *Ignis & Meda* à regno *Mediæ*, quia toto illo regno ignem libidinis excitabat, & sic Dæmones nomen sortiuntur in hoc mundo vel à locis, in quibus grassantur (& hinc vocantur *Ignis, Aerii, Terrei, Aquei, Septentrionales, Australes, &c. Tenebriones, Cacodæmones seu Sepulchrales*) vel à vitiis, ad quæ potissimum impellunt, & tales vocantur *Spiritus superbiæ, acediæ, iræ, fornicationis, gastrimargiæ, &c.* Porro ad meliorem scripturæ intelligentiam quædam hæc explicanda videntur, quæ in Script. Sacrà de Angelis tum bonis tum malis recensentur.

Quæres imò. An unus Angelus bonus opponat se alteri, & quis sit ille Princeps regni *Perfarum*, qui Dan. 10. restitit Gabrieli viginti & uno diebus. R. Sicut ex infimo ordine Angelorum Præsides & Custodes à Deo assignati sunt singulis hominibus, ita singulis provinciis & regnis ex tertio ordine nempe *Principatum,*

12 *Pars secunda de elevatione*
& sic suos etiam Diabolos Lucifer regnis & provinciis præponit, putantque Cassian. Prosper, &c. eum, qui restitit Gabrieli, ne reduceretur ex Perside ad Palæstinam Judæorum populus, fuisse Dæmonem à Lucifero præpositum regno Persarum. Sed communis est SS. PP. aliorumque sententia, eum fuisse bonum Angelum regno Persarum tutando & promovendo à Deo præpositum. Et hic, tum ut Judæi diuturniores scelerum suorum pœnas luerent, tum ut gentiles Persæ plures verâ Dei notitiâ & legibus imbuerentur, conabatur contrariis Gabrieli precibus & rationibus impedire reditum Judæorum ex Persia in patriam suam. Donec *Michael unus ex Principibus primis* [juxta communiorum supremus tertiæ Hierarchiæ vel etiam omnium Angelorum Princeps] *venit in adiutorium Gabrieli*, & intimavit Angelo Persiæ præfidi, Deum velle, ut Judæi in Palæstinam redeant.

Reflecte, quòd non tantùm Angelum Tutelarem tuum, sed etiam patriæ, regni, &c. in quo es, colere & venerari debeas.

Quomodo Conventui bonorum Angelorum intersit Sathan.

QUæres 2. An Deus cum Angelis bonis & malis habeat subinde conventus? cum Jobi 1. dicatur: *Quâdam die, cum venissent filii Dei, ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Sathan.* *¶. Deus, licet omniscius, &*
Ange-

Angelorum ministerio non indigens, cum tamen ditionibus, regnis & singulis hominibus suos assignaret protectores Angelos, eos audit de ministeriis sibi impositis referentes, preces & opera bona hominum offerentes. Dæmon à visione Dei semel pro semper exclusus ubique tamen Deum præsentem habet, & Angelorum bonorum pro salute hominum excubantium, ubi ille insidiatur, percipit præsentiam, & locutione mentali Deum Angelosque alloquitur, homines continuò accusat, & ad pœnam deposcit, tum ex invidiosa rabie erga humanum genus, tum quâ licetor & justitiæ divinæ administrator. Aliqua, quæ postulat, subinde permittit Deus, partim in pœnam scelerum, partim ad majus justorum meritum, ut l. c. permittit; ut Jobum variis adversis affligeret. Sicut autem Diabolus Angelis salutem hominum quærentibus ubique se opponit, & hoc sensu, ubi filii Dei assistunt coram Domino, & ipse adest ut criminator, sic in judicio cujusvis particulari & bonus & malus Angelus intererunt, ad hoc in actionibus tuis quotidianis & operibus sæpè reflecte, & subministra Angelo bono materiam, ut te possit defendere; malo eripe, ne te possit accusare.

Qualis lucta inter bonos & malos Angelos.

Quæres 3. An lucta sit inter Angelos bonos & malos, cum Judas in Ep. suâ v. g. dicat: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans*

14 *Pars secunda de elevatione*
altercāretur de Moysi corpore, non est ausus judi-
cium inferre blasphemia, sed dixit, imperet tibi
Dominus. R. Esse utique opposita bonorum
& malorum Angelorum studia, & hoc sensu al-
tercationes; hæc Michaëlis lucta cum Satana
(qui fuerit Lucifer aut ejus emissarius) inde ori-
ginem habuit, quòd Satan urgeret, ut Moysis
corpus palam & publicè in terra promissa se-
peliretur, atque ita Judæis in idololatriam pro-
nis daretur occasio Moysen instar Dei divinis
honoribus colendi, hoc autem præcavere vo-
lebat Michaël. Per *judicium blasphemia* intel-
lige convitium, maledictum. *To non est ausus*
intellige: non quasi Michaël timeret Dæmo-
nem, sed quòd maledicum verbum tanquam
rem se dedecentem proferre nollet, & hinc A-
postolus in cit. Ep. increpat tam pronos in
blasphemias & maledicta. Hugo advertit, ex-
emplo S. Michaëlis Magistratui, Judici, Præ-
lato, & cuivis Superiori esse abstinendum à
verbis injuriosis & austeriore imperio. Idem
S. Hier. cavendum esse cuivis Christiano cer-
tanti cum æmulis vel obtrectatoribus.

De creatione Angelorum, & Dæmonum dam-
natione.

Quæres 4. Quando Angeli creati, & Dæ-
mones in infernum præcipitati. *R.* Quòd,
quando Deus die primo creavit terram, lucem,
caelos, extimum totius universi ambitum seu
orbem (quem cælum empyreum vocamus)
non

non creaverit vacuum, sed cælestibus incolis plenum, nempe spiritualibus substantiis, quas Philosophi *intelligentias*, Scriptura Angelos vocat. Hic est communis sensus, & Conc. Lateran. C. *firmiter signanter* dicit: Angelos non ante, nec post mundum, sed simul cum mundo creatos esse, illud autem, quod c. 1. Gen. v. 4. dicitur: *Divisit Deus lucem à tenebris*, interpretes Scripturæ in sensu allegorico de Angelis exponunt, & in specie Hugo Victorin. l. 1. de Sacram. l. 1. c. 10. dicens: *Quod agebatur in mundo sensibili, imago erat eorum, quæ in intelligibili agebantur, nam sicut primo die Deus divisit lucem à tenebris, ita tunc simul Angelos à Damonibus, gratiam à peccato, gloriam à pœna, calum ab inferis dispescuit.* Et è cælis in infernum, quem sub idem tempus in centro terræ cum suo igne & sulphure apparavit, detrusit. Hinc Petri 2. dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos exemplam ponens eorum, qui impiè acturi erant.* Sunt autem ideo præcipitati Angeli mali è cælo, quia noluerunt se subicere naturæ humanæ, si ipsa Divinitati jungeretur. *Prælium magnum in celo, quod Apoc. 12. v. 7. dicitur factum esse, dum Michaël & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli ejus.* Intelligendum est & de prælio commissò ab initio mundi sive primæ ejus die, dum Michaël debellavit Luciferum, & de prælio futuro sub finem mundi in celo aërio seu ipso aere, quando

Mi-

16 Pars secunda de elevatione
Michael destruet Anti-Christum, & Diabolum
cum Lucifero denuò præcipitabit in infernum.

De obsessis Pythonissis & veri Dei oraculis.

Quæres s. Quomodo intelligendum sit, quòd
1. Reg. c. 16. v. 14. dicitur: *Spiritus Domini*
recessit à Saul, & exagitabat eum Spiritus ne-
quam à Domino. Item quòd Pythonissa 1. 1.
Reg. c. 28. v. 7. suscitaverit Samuelem. R. 1.
ex communi SS, PP. & DD. sententia, Saul ve-
rè fuit energumenus, sive obsessus & intus exa-
gitatus à Dæmone, qui, quia *malus* in se est,
vocatur *Spiritus nequam*, quia tamen etiam ser-
vus & mancipium est Dei; meritò quoque hic
v. 16. vocatur *Spiritus Domini*, quando autem
v. 23. Davide percutiente cytharam *refocillaba-*
tur Saul, recedebat enim ab eo Spiritus malus,
id à suavi cytharæ lusu tantùm non proveniebat,
licet enim magna vis sit in concentu & numeris
musicis ad sedandas compensandasque passiones
animi & corporis, & consequenter sedet agita-
tionem in tantùm Dæmonis, eò quòd passioni-
bus istis & humorum commotionibus se inge-
rat Dæmon, iisdemque ad animum occupan-
dum vel magis exagitandum utatur, quod ta-
men Spiritus malus recesserit à Saul energu-
meno, non musicæ, sed piis precibus ac votis,
quibus David pro Regis incolumitate Deum in-
terpellabat, adscribendum est, sicut modò Ec-
clesia per preces, adjurationes & exorcismos
expellit cacodæmones ex energumenis, *Allego-*
ricè

ricè per Davidem Christus, per cytharam Crux, per nervos seu fides extensa Christi in cruce brachia reliquaque membra intelliguntur, quibus ab humano genere fugatus Dæmonum exercitus est. Tropologicè exprimitur dulcedo & suavitas Oratoris sacri perverfos animi motus compeſcentis & ſedantis.

3. 2dò. Mulier, quam Saul acceſſit, habebat *Pythonem*, id eſt, familiarem Dæmonem, à quo ex pacto impetrabat, quidquid petebat. *Pithyus* quoque Apollo vocabatur, quod *Pithona* ſerpentem ſagittis conſeciſſet, unde quotquot ab Apolline quaſi afflati ſeu illuſtrati ſecreta ſuis maleficiis revelabant, *Pithii vel Pithia vel Pythoniſſe* vocabantur, id verò faciebant variis modis vel per ſigna ſine verbis exhibendo in ſpeculo aut circulo effigiem illius, qui quaerebatur, vel per nuda verba ex pala, v. g. annuli vel alia ex recula reſponſando, vel per cadavera & arreptitios, vel per ventrem proprium oracula fundendo, Dæmone in concluſo ibi aere voces quas volebat eſſormante, unde & *Ventriloqua & Necromantici & Magi* vocabantur. Porro arte magicà nullatenus ſuſcitatus à mortuis fuit Samuel (Dæmon enim figuram hominis exhibere poteſt non mortuum reſuscitare) apparuit quidem Samuel 1. Reg. 28. v. 15. Sauli, & mortem ei ac cædem Iſraelitici populi prædixit, ſed contigit id ſolâ virtute & imperio Dei prævenientis conatus Pythoniſſæ mulierculæ, ſicut volente Balaamo maleficiis ſuis à Dæmone reſponſa extorquere prævertit Deus, &

per

per os illius benedixit Israeli, & aliàs ex probatis constat historiis, quod volente Deo Defuncti apparuerint viventibus, ad quod tamen non requiritur, ut animæ eorum verè denuò suis fuerint unitæ corporibus.

Ad majorem S. Script. intelligentiam sciendum etiam est, quomodo in veteri lege Deus de variis consultus responderit. Quatuor vestimenta sibi propria habebat summus Pontifex, vestis ejus extima polymito seu phrygio opere contexta græcè *Epomis* dicebatur; eò quod humeros teget. Hebraicè *Ephod*, & erat instar interulæ ad cingulum usque porrectæ, quæ duabus constans partibus anteriore & posteriore in utriusque partis summitate jungebatur in humeris, ut è duabus partibus unus quasi thorax efficeretur, & hic thorax in anteriore pectoris parte superassutum habebat aliud pretiosioris operis Phrygii ornamentum quadratum dictum latinè *rationalè judicii*, quod per illud, quasi esset rationale seu ratione præditum, redderentur oracula & responsa divina; quibus *judicia* seu sententiæ Dei hominibus manifesta fiebant. Pontifex enim indutus *Ephod* [hoc nomen etiam sumitur in Scriptura pro veste vel interula linea in communi] & ornatus hoc *rationali* consulebat Deum de futuris & dubiis, Deus verò voce aliquâ vel internâ vel externâ respondebat consulenti. Porrò huius *rationali* intextæ erant 12. pretiosæ diversi generis gemmæ, & cuique gemmæ insculptum erat nomen 12. Patriarcharum vel tribuum Israel,

Israel, eadem nomina erant etiam duobus lapidibus Onichinis eximia magnitudinis insculpta, quibus quasi nodis necebantur in humeris sumamitates *Ephod*, & horum singulis arte gemmariâ insculpta serant sex nomina sex tribuum; idque in memoriale filiis Israel, sive ut meminerit Pontifex suum munus esse quasi in humeris portare subditos.

Sancti.

Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi [in specie Patroni mei] gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam (invocati à viventibus pro hoc illo etiam per miraculum impetrando à te beneficio) & gloriam magnificentia regni tui Pl. 144. & vos Seniores viginti quatuor circummambiti vestibus albis cum coronis aureis in capite prosternite vos ante Sedentem in throno, mittite coronas ante thronum dicentes: dignus es Domine accipere gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt. Apoc. 4. his me sanctis affectibus immisceo: *Exultabunt Sancti in Domino, letabuntur in cubilibus suis. Pl. 144.* Vel potius in spatiosissimo cuilibet designato loco in caelo empyreo, qui amplior integro terrestri regno, hoc nil nisi terrena sapienti inconceptibile est, qui non reflectit vel totum globum terraqueum, & quæ supra cum sunt, esse respectu
sedis

sedis Beatorum ne quidem guttam roris antelucani: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.* Pl. 67. Id dicitur de Hebræis ex Ægypto ductis in montem Sinai à Deo, liberatis à iugo Pharaonis, & ditatis spoliis Ægyptiorum. Paulus ad Ephes. 4. Hunc textum applicat ascendenti Christo in caelum empyreum, & secum ducenti animas Patrum ex limbo, idem dici potest de detentis in purgatorio, unde vides multiplicem sæpè esse Scripturæ sensum, sed de detentis in limbo ac purgatorio agetur infra in titulis id indicantibus.

Subsectio prima.

De cultu-latria ac vera religione erga Deum verum, cultu Hyperdulia & Dulia.

HActenus allata de Deo Trino & uno, Beatissimâ Virgine Deiparâ, Angelis & Sanctis ad pias mentis in Deum elevationes suspiriaque ad Cælites serviunt, sed quia fides rerum omnium fundamentum est, & sicut in omnibus scientiis ita vel maximè in materia religionis ac fidei inconcussa oportet habere principia, eò autem malitia hominum devenit, ut vel amandata omni prorsus religione Deum negent, vel eo admissio verbum omne Dei scriptum respuant, vel verbo Dei ex parte acceptato in omni religione hominem salvari possedictitent, vel Judaismo aut Mahometismo mordicus

dicus adhæreant, aut si Christiani dici volunt, vel ipsi sua sequantur placita, vel etiam in Lutheri, Calvinii aliarumque hæresiarcharum verba jurent, & consequenter sicut in aliis, ita quoque circa cultum Deiparæ, Angelorum ac Sanctorum ab Ecclesia Romano-Catholica discrepent, hinc in subsectione hac de his omnibus per ordinem agam.

Primò refutantur negantes Deum per num. Atque sequentes, & in ultimo simul Gentiles.

1. **L**oquor cum homine non profus insipido, sed alicujus saltem ratiocinationis capace, si nullam dicis dari scientiam, nec scire te, an revera existas, hoc illud cogites; equidem ex alterius Sycophantæ principio vel ex proprio deliras criticio; eò tamen necdum devenisti stultitiæ, ut hoc ipsum, quod existas hoc illud cogites, non agnoscas saltem verosimile aut probabile esse. Si jam pariter argumentis solidisque motivis adactus debeas saltem agnoscere ut verosimile aut probabile; quod detur aliqua causa prima rerum cæterarum, ab omnibus independens, nil sibi æquale aut se superius habens, an non pariformiter inferre debebis? verosimile esse, quod tale ens supremum à te debitè colendum sit, sicut si tibi probabile videatur hunc illum Principem potentem esse, qui te & præmiare & punire possit, curi tuæ timens probabilissimo hoc induceris ad eum non irritandum.

2. Non

2. Non tantum probabile est, sed tum moraliter, tum physicè ac metaphysicè certum esse, quod ens aliquod supremum sive Deus datur, ratione demonstrari potest per argumenta sequentia.

Primum Principium lumine naturæ impressum admittit verum esse, quod universis videtur, licet enim singulos homines falli aut fallere contingat, non tamen omnes in eandem veritatem conspirantes, nec ut persuasio aliqua inter homines universalis adeoque vera esse censeatur, opus est singulos quosque consentire in toto universo, cum nec falsitas aliqua sit tam absurda, quæ non fatuum unum aut alterum patrocinantem habeat, nec veritas tam manifesta, cui non stultus aliquis contradicat. Sufficit ergo in eadem veritate convenire ætates omnes & populos, & in his plurimos præsertim optimos quosque ac sapientissimos; cum ratio manifesta dicter id potius pro vero acceptandum esse; quam id, quod inter ætates & populos omnes pauci hebetes aut sycophantæ autumant, sicut eodem modo id bonum esse censendum est, quod homines omnes in communi appetunt, atqui præscindendo jam, an unus tantum vel plures dentur Dii, licet non pauca inventæ sint nationes sine lege, Rege, studiis, urbibus, aut humana societate, nulla tamen tam barbara natio, aut ab omni humanitate aliena inventa est teste Cicerone aliisque Gentilibus ratione sublimi præditis, quæ divinitatis aliquid vel à principio vel saltem paulatim

tim non agnoverit. Ergo si lumen aliquod rationis sequi velis, tuum proprium criterium universo humani generis sensui sub prætextu aut umbra alicujus sophismatis non audebis opponere.

2dum Divinitatis aliquid in rerum natura esse dicat tibi conscientia propria; quando post perpetratum insigne nefas illa angitur, & scelus tibi exprobat, & tu tibi times, quod sane non fieret, si naturæ impressus sensus diceret nullum dari Deum malorum vindicem, dicat idem naturæ instinctus tibi in præsentia naufragio vel mortis periculo, ut tendas in cælum manus, ensque supremum, ut tibi assistat, implores. Quid ergo miser homo contra conscientiam & instinctum naturæ propriæ ac rationis tuæ ratiocinati vis non dari Deum? equidem dixit insipiens in corde suo non dari Deum, velletque id sibi persuasum esse, ut ita nil habeat à peccatis effrœnique libidine retrahens, sed utcunque sceleratus ille, qui numerari in Gallia volebat *entre les esprits forts*, inter blasphemias & maledicta negaret Deum dari, fulgura tamen inter & tonitrua ex equo decidens subitò Dei opem implorabat. Quid jam dicam de hominibus cum Salamone experientiâ edoctis? quod quibuscunque demum voluptatibus se immerferint per longam annorum seriem, manserint tamen semper inquieti, vanaque esse terrena omnia ob appetitum naturæ inditum non saturatum compererint. Ergo ratio sana dicat divinum quid esse debere sive Deum,

Deum, qui sicut creavit, sic & solus animam hominis satiare & quietam reddere potest, & hoc etiam ex infidelitate ac impietate plenè tandem ad Deum conversi experiuntur esse verissimum.

3^{ium} Non casu aliquo fortuito cælum & terra consistunt, cum nec tugurium aliquod multò minùs Palatium Regium sine Artificis aut Architecti salicujus directione & sibi subjectorum labore exurgat. Quis ergo formavit cælum & terram omniaque, quæ in conspectu tuo sunt? quis solem ut diei, lunam ut nocti præsit? quis temporum vicissitudines, hyemem & æstatem, ver & autumnum ordinavit? quis præcepit mari, ut ad hoc illud litus subito compesceret fluctus suos? quis ventis pondus indidit & mensuram, ut usque huc & non ulterius progrediatur? quis tam miras ac diversas prosperitates metallis, herbis, arboribus, bestiis & minutissimis quibusve animalculis, dein hominibus indidit? quas nullus adhuc Physicus cum omnibus retrò sapientibus ac Philosophis condignè explicare, multò minùs penetrare potuit. Jam dixi tuguriolum minimum non exurgere fortuito, ut clarè vides ante oculos, multò minùs casui fortuito adscribere potest tantum & tam mirabile universum. Ergo ejus causa vel causæ indagandæ sunt, unam eamque primariam & à cæteris independentem necdum voles statuere, ne hoc ipso admittas Deum, licet enim natus sit tempore, quo humanum genus adeo depulsis plerumque ignorantie

rantia tenebris illuminatum & gens seu natio tua adeò polita est, pertinaciter tamen adhuc Deum seu ens aliquod supremum negare pergis, quod ex allatis modò à me principiis solius rationis ductu agnovere gentiles plurimi. Unus audiatur Cicero de Nat. Deorum l. 2. dicens: *Quid potest esse tam apertum, tamque perspicuum? cum calum suspeximus, caelestiaque contemplati sumus, quam aliquod esse numen praestantissima mentis, quo haec regantur, quod qui dubitat, haud sanè intelligo, cur non idem dubitare possit sol sit annullus sit.* Sed tu ex hac rerum in universo serie, ordine, gubernatione contendis nequaquam consequi, quod numen quoddam praestantissima mentis existat, sed pro excludenda causa omnium prima recedis ad seriem causarum in infinitum. Dicis mundum totamque cæli, quæ videtur, machinam fuisse sine initio aliquo adeoque ab æterno, adeoque opus non esse, ut deveniatur ad cæterorum omnium principium in æternitate à parte ante, sicut opus non est, ut deveniatur ad terminum in æternitate à parte post; jam Philosophaster cœce audi tacens & ruminans ulteriorem discursum meum.

Equidem verum est, quòd, si mundus v. g. fuisset ab æterno, æquè benè non posset deveniri ad diem primum ipsius existentia, atque, si duraturus sit in æternum, deveniri non poterit ad diem ultimum ipsius existentia. Interim verum tamen etiam manet, & satis ratione comprehendi potest, quod, si mundus excutisset ab

æterno, & una series causarum alteram exce-
pisset, in toto complexo, cum causata res suc-
cessivè infinita non à se ipsis, sed ab alio esse
deprehendantur, vel tandem debeant esse duæ
causæ, quæ quoad primum esse se mutuo, vel
una, quæ se ipsam quoad primum esse produ-
xerit, vel deveniri debeat ad ens, quod à se ipso
necessariò ac indefectibiliter existat, & cætera
omnia naturâ & essentiâ à se distincta produxe-
rit. Nec duæ causæ se mutuo, nec una se ipsam
quoad primum esse producere potuit, quia sicut
ex nihilo nihil fit, ita dum sive duæ sive una
causa nihil erant, nihil operari, & consequen-
ter se ipsas vel etiam alia causare non poterant,
ergo deveniri debet ad ens aliquod à se ipso exi-
stens, nec à se nec ab alio naturâ distincto pro-
ductum, & consequenter à cæteris omnibus in-
dependens indefectibile & omnium aliorum
causam; & hoc est Deus.

atum Si ens tale à se ipso necessariò existens
& indefectibile in hoc toto causarum com-
plexo, quas modò transmitto ab æterno pro
æterno sibi successisse, necdum admittis, vide
in quem labyrinthum inextricabilem te ulterius
immittas, si enim in toto complexo nullum est
ens necessarium ac indefectibile, ergo toti
complexo nulla inest indefectibilitas aut ad ex-
istendum necessitas, sive sumatur collectivè sive
distributivè, sicut nullum complexum etiam
infinitum ligneum appellari potest aut lapi-
deum, si nullus lapis, nullum lignum in toto
complexo sit reperibile, si autem totum com-
plexum

plexum ex serie causarum sibi succedentium & mundus ab æterno existens cum omnibus suis causis defectibilis & consequenter contingens est, possibile sanè est, ut non existat, quod, si, jam id, quod fieri potuit, contigisse fingas, ut ad fundum veritatis pervenias; nihil invenies, à quo mundus modò existens produci potuerit, quod enim nihil est, nec se, nec quid aliud producere potest. Cùm autem mundum hunc cælum & terram modò existentia produci potuisse invictè probetur *ex actu ad potentiam*; debes consequenter admittere. Quod unum ens in toto complexo existente non sit contingens, aut ad existendum indifferens, sed necessariò à se ipso & in se ipso subsistens, independenter ab omni alio à se naturâ ac essentiâ distincto, cæterisque omnibus esse dans, & consequenter nil sibi æquale multò minùs superius habens; adeoque unus in essentia datur Deus non plures, sive plura entia suprema inter se naturâ distincta independentia indefectibilia, & sic divinitas propugnatur ac demonstratur non tantùm contra Atheistas, sed & Gentiles, qui partim ex mentis hebetudine, partim aliorum malitia eò devenere amentia, ut non jam verum Deum, qui per varia antiquitus signa indicabatur, sed hæc ipsa signa adeoque sydera homines bestias pro Diis colerent imò & plantas, etiam cepas & allia, quàm cæcorum Ægyptiorum dementiam juvenalis perstrinxit, dum cecinit:

*Quis nescit, qualia demens
 Egyptus portentacolat? Crocodilon adorat.
 Porrum & cepe nefas violare ac frangere morsu,
 O Sanctas Gentes quibus hac nascuntur in hortis
 Numina.*

Allatis tamen modò ex sana ratione argumentis
 adducti plurimi magis præ vulgò illuminati,
 v. g. Pericles, Anaxagoras, Socrates, Pythago-
 ras, Orpheus unum tantùm Deum admisere.
 His consentiens Seneca l. 4. de Ben. c. 8. dicit;
*Hunc [scilicet Deum unum] & liberum Pa-
 trem, & Herculem, & Mercurium nostri putant,
 omnia ejusdem Dei nomina sunt variè utentis sua
 potestate. Nec Plato tantùm unum Deum mul-
 tis in locis librorum suorum agnovit, sed &
 quod ex Moysis libris hausisse videtur, ipsius
 SS. Trinitatis mysterium subobscurè adombra-
 vit. Per transennam hìc reflexionem meretur
 casus, quem l. 4. Reg. c. 5. v. 18. Naaman Sy-
 rus ac gentilis ab Elisæo per septemphicem in
 Jordane lotionem à lepra virtute Dei curatus,
 & per hoc in agnitionem unius veri unicusque
 Dei deveniens proposuit. *Hoc solum est, de
 quo deprecaris Dominum pro servo tuo, quando
 ingredietur Dominus meus [Rex Syriæ] tem-
 plum Remmon [ubi Idolum erat Veneris] ut
 adoret, & illo innitente super manum meam, si
 adoravero in templo Remmon adorante eo in co-
 dem loco, ut ignoscat mihi Dominus servo tuo pro
 hac re [Elisæus] dixit ei vade in pace. Non
 pote-**

poterat Elifæus tale responsum dare Naamo, sed debebat eum corrigere, si verè, ne gratiam sui Regis amitteret, externum idolo adorationis cultum deferre volebat. Sed Cajetanus alii- que advertunt, quòd in obsequium non Idoli, sed Regis in templo illo Remmon vellet Physis- cam curvationem facere Naaman, quod aliter fieri non poterat, cùm Rex ipsi tanquam Mi- nistro suo primario adorans Idolum partim commodi, partim decoris gratia inniti toleret. Hoc autem licebat, & consequenter similes in speciem adorationis actus, de quibus ipsi usque adeo Gentiles summi & medioximi profitentur, quod per eas non intelligatur multò minùs intendatur cultus aliquis latræ soli Deo debitus, sed merè politicus.

Secundò refutantur admissio uno ac vero Deo non admittentes unicam esse religionem veram.

1. **S**I verus unus est Deus ens aliquod supre- mum, ergo cùm considerit rationales creaturas; qui ductu rationis eum ex creaturis existentibus agnoscere possunt, ratio dicat, quod eum ut talem agnitum quoque venerari debeant, sicut ratio dicat, quod illum, quem pro tuo Principe agnoscis, eum quoque ut ta- lem venerari debeas, sicut autem Principi aut Domino tuo legitimo territoriali perinde non est, quo modo eum colas, sed quædam tibi & facienda & vitanda præscribit, maximaque ejus laus est sapientia quædam & providentia; vi-
B 3
cujus

cujus subjectos sibi regit populos, ita quoque hanc Deo [qui non potuit non rationales creaturas creare aliter, quàm ut eum pro Deo suo agnoscerent & colerent] providentiam ac sapientiam abjudicare non poteris, ut non quædam, quæ fieri aut vitari velles, definiverit, & in horum observatione religio sive cultus Deo debitus consistit.

2dò. Si jam religionem aliquam aut modum se colendi Deus jure exigit, ergo cùm in tot religiones distrahatur propriâ etiam malitiâ aut libidine humanum genus; & brutis animantibus aptarit media Deus ad fines sibi præscriptos attingendos, & rationi hominis certa quædam principia impresserit ac regulas ad profanas scientias ac disciplinas addiscendas; debuit quoque eâdem sapientiâ rationi hominis providere de principiis, per quæ in materia religionis utpote omnium præcipua is vera à falsis possit discernere.

3tò. Philosophastri admisâ Dei existentiam dicunt eum à nobis tantum exigere, ut unusquisque juxta naturalem rationis ductum vivat. De cætero Deum colat ritibus aut cærimoniis, quibus ipse voluerit: si modò à ratione eæ alienæ non sint, ideoque non in una tantum, sed quibuscunque demum religionibus homo Deo placere, felicitatemque suam consequi possit. Contra ejusmodi homines frustra allegas scripturam, quam non admittunt, ratione ergo agendum est. Sic ergo ratiocinor *imò*. Vos qui tam liberaliter hæc placita obtruditis, quo
argu-

argumento ex possessione ejicitis homines ex
omni natione innumeros sapientes & doctos?
qui ex omni ætate certam religionem dari, per
quam Deus coli vult à rationabilibus creaturis.
Ex ratione num. 1. hic allatâ probant, probâ-
runt & sustinuerunt semper, 2dò. Manifestæ
vos contradictionis reos pronuntio, nam eo
ipso, quod inficiemini certam quandam dari
religionem veram, per quam & in qua Deus
coli velit, sed sufficere dicatis ductum rationis
sequi. Eo ipso inquam asseritis, hanc esse re-
ligionem veram, quæ doctrinam tantum ac
præcepta continet juris naturalis, & cæteras re-
ligiones vel sectas omnes, quæ huic aliquid tan-
quam ad Deum ritè colendum, & ultimum fi-
nem consequendum necessarium superaddunt,
esse falsas. Pari modo ex eo, quod Machiavel-
listæ persuasum esse Principibus velint non dari
certam religionem veram, & licere quod lu-
bet; moneant tamen ipsos, ut præ aliis exte-
riùs certam quandam æternas etiam pœnas im-
probis minitantem simulent, omnique studio
in persuasione hac pro manutenenda felicitate
publicâ summopere necessariâ populos sibi sub-
jectos confirment; pari inquam modo sine ullo
S. Script. subsidio ex ratione demonstro, exer-
citè & reapse inde consequi, quod vera aliqua
detur religio, & hæc ea ipsa sit, quæ æterna
bonis promittit præmia, & æternas reprobis
minitatur pœnas, & consequenter animæ im-
mortalitatem adstruit; modò cætera simul ve-
ræ religionis indicia habeat, de quibus paulò

post agemus. Si enim persuasio de æternis præmiis ac pœnis & consequenter religio hæc inculcans necessaria est ad felicitatem publicam, & universi tuendam ac conservandam : ergo eo ipso vera est, aliàs per hoc omnes Gentes essent feliciores, quod errarent agnoscendo religionem aliquam, & per hoc miseres, quod scaperent nullam religionem agnoscendo, & quomodo obsecro humano generi in universum ad vitam benè ac laudabiliter ducendam, ipsamque adeo felicitatem tam publicam quam privatam consequendam necessaria potest aut debet esse persuasio falsa? cum tamen hæc homini qua tali, seu qua intellectuali vel maximè mala sit ac repugnet, ejusque oppositum maximè appetat scilicet veritatem, sicut voluntas non hoc quod malum, sed quod bonum esse cognoscit, appetit. Ecce quomodo mentita sit iniquitas sibi metipsi, unâ manu destruat, quod altera ædificat; & eo ipso debeat agnoscere veram & unicam veri religionem, quod admittat sanæ rationis ductum esse sequendum.

4^{ta}. Ergo vera aliqua debet esse religio, & aliæ, quæ ipsi contradicunt, sectæ debent esse falsæ, quia idem simul verum & falsum esse non potest. Porro in qualibet religione suppono esse homines doctos ac ingeniosos & rudes, qui horum instructione indigent. Homo autem prudens & doctus debet ponderare argumenta, ex quibus concludendum sit, quænam religio aliis præferenda, quod si jam collatis inter se religionibus una manifestè appareat cæteris omnibus

nibus esse multò credibilior, an non ratio dicat eam quoque præ cæteris esse amplectendam? non debes hic velle prævolare dicendo, fidem veram à Deo internoque ejus lumine inspirari, simulque ex revelatione à Deo facta dignosci, nam licet & hæc & plura alia hac in materia vera esse sustineam, eò tamen necdum devenimus, sed modò juxta sanæ rationis ductum investigamus principium aliquod, nempe quod jam attuli, quod ratio sana dicet, illam religionem esse amplectendam à quocunque homine ratione utente; quæ cæteris omnibus impartiali animo ponderatis ei manifestè apparet multò credibilior, dignaque assensu prudente sub hac tamen modificatione, nisi illius falsitas aut error ratiocinationis humanæ per divinam internam veram illustrationem, aut Dei ad extra revelationem ità ostendatur; ut de revelatione sive interna sive externa Dei prudenter dubitari non possit. Si enim sub ista modificatione hæc regula vera non esset, jam homini cuivis juxta sanæ rationis lumen ad veram religionem aspiranti, & salutem suam æternam per eam quærenti nullum aptum divinâ providentiâ subministrasset medium eò perveniendi, imò si permitteret nil in contrarium revelando; ut falsa religio omnibus videretur præferenda, eò quòd pro ejus veritate manifesta adsint motiva credibilitatis respectu cujuscunque hominis prudentis. Jam cum obligatio sit hoc acceptandi, pro quo manifesta veritas militat, per se loquendo

quando Deus obligaret omnes homines ad religionem falsam amplectendam.

5to. Porro ut solidè investigates, pro quâ religione maxima militent motiva credibilitatis, necessum non est, ut singulas quoad infimas eorum species percurras. Sufficit id sub generica quadam ratione facere, & nationes ac populos, prout modò diversas imbibere religiones, animo percurrere, vel enim loco veri Dei adorant & colunt creaturam aliquam ut Deum, & sunt *Gentiles*, vel verum Deum agnoscunt, nil tamen juri naturæ superaddi volunt, & licet varias nomenclaturas habeant, mihi Philosophastorum veniunt nomine, vel legem aliquam scriptam aut scriptum Dei verbum admittunt, Christum tamen nullatenus agnoscunt, & sunt *Judæi*. Vel Christum ut Prophetam magnum non tamen ut simul Deum venerantur, præterea Mahometem ei æqualem aut etiam eò superiorem esse assertunt, & sunt Mahometani, vel Christum ut verum Messiam, non tamen ut Deo Patri æqualem secundum Divinam suam naturam, nec trinas personas Divinas in natura ac essentia æquales colunt, vel si id faciant, in variis aliis fidei dogmatibus ab Ecclesia Romano Catholica se segregant, & sunt Hæretici, licet omnes Christiani appellari velint. Ex allatis à num. 1. usque ad 5. sat patet gentiles Atheistas, & qui præter verum Deum nullam admittunt religionem jure reprobari. Indagandum ergo restat, an judicia Mahometana vel Christiana religio, & præ variis eorum, qui se Christia-

nos nominant, sedis religio Catholico-Romana unice sit amplectenda.

Tertiò ostenditur nec Judaicam nec Mabometanam veram esse religionem.

E Quidem quæ vera semel est religio, debet semper vera manere hoc sensu, quod semper verum maneat, quidquid in ea credendum Deus proposuit. Sed religionis veræ cultores utique hoc etiam credere & observare debent, quod Deus unicus veræ religionis autor ulterius credi & observari voluit. Sicut ergo *ex lege natura* transire debebat quivis *ad legem scriptam*, cui manifesta apparebant credibilitatis motiva, quibus Deus orbi manifestabat legem scriptam à Moysè promulgatam continere religionem ac ritus illos, quibus coli impostero vellet, ita pariter quivis, cui *pro lege gratia* à Christo ut promisso Messia promulgata majora manifestè apparent credibilitatis motiva, *ex lege scripta* conferre se debet *ad legem gratia* sive religionem Christianam, & tam in novum quàm vetus testamentum credere. Jam quia Judæi novum testamentum ut verbum Dei non acceptant, nec in Christum ut verum in antiquo testamento promissum Salvatorem credunt. Hinc examinandum, an non ex manifestis motivis appareat Judaicam Synagogam sepultam, & legem gratiæ sive Christianorum religionem verè à Deo institutam esse. Et *primò* quidem Messiam venisse exinde patet, quod quidquid de eo tan-

quam Dei Filio, & ex Virgine nascituro, in veteri testamento à Prophetis, & Sybillarum à Gentibus cultarum vaticiniis prædictum fuit, impletum esse videamus. In Bethlehem terra Juda natus est, ut Mich. 5. prædictum, tempore quo pax erat per universum orbem Il. 2. Mich. 4. Zachar. 9. Joannem Præcursores habuit Malach. 3. prædicavit pauperibus, & doctrinam miraculis confirmavit. Il. 35. & 61. Ingressus tanquam Rex Jerosolimam super asinam sedens. Zachar. 9. Ejus Passio mors tenebræ & solis defectio contigit, ut prædictum Pl. 21. 40. & 68. & Isaïæ 53. Jerem. 11. Amos 9. Zachar. 12. & 13. 2do. Effugium Judæorum, quod Evangelistis nostris credere non teneantur hæc omnia sic evenisse, nullum est. Nam præterquam quod ex infra dicendis clarè apparebit Evangelium legemque Christianorum veram & à Deo institutam continere religionem, & consequenter ut Dei verbum testamentum novum esse acceptandum. Totus rei cardo in hoc vertitur, an Messias in l. v. promissus jam venerit: quod Judæi jam à septendecim sæculis & ultra pertinaciter negant. Ostendant ergo ubi Sacerdotem, ubi Sacrificium, ubi Regem habeant, quæ de Rege Judæorum aliquo propè Babylonem Rabbini comminiscuntur, apertam patet esse fabulam, quia scimus Babylonem terrasque & nationes aditas à Turcis, Persis &c. possideri, post transmigrationem Judæorum è Babylone in Judæam hi postmodum eò denuò non leguntur transmigrasse:

migrâsse ; sed post occisum Christum & destru-
ctâ à Tito Jerosolymâ & innumeris Judæis occi-
sis eorum reliquiæ per orbem dispersæ sunt ;
& dato , quod ex illis aliqui etiam in Arme-
niam vel Babyloniam transmigrassent , ut &
modò lucri ac quæstûs causa in Turcia ac Persia,
sicut in Europa eorum aliqui vagantur ; hi ta-
men nec integram nationem conflare , nec re-
gnum aliquod constituere possunt. Uno ver-
bo non habent ampliùs summum Sacerdotem,
qui Sacrificium solenne offerat , non habent
Regem , & hoc jam mille annis & tot sæculis,
ergo Messias venit , quia clara sunt verba Jaco-
bi Patriarchæ Gen. 49. v. 10. prædicentis : *Non*
auferetur sceptrum de Juda , & Dux de femore
eius , donec veniat , qui mittendus est , & ipse erit
expectatio Gentium. Si per *Sceptrum* dicant eti-
am intelligi posse adversitates, persecutiones, &c.
Per Ducem de femore Juda intelligi tamen non
potest nisi Rex aut Princeps genti suæ imperatu-
rus , quem dudum non habuerunt ampliùs,
habuerunt autem circiter usque ad Adventum
Christi , qui natus est sub Herode alienigena,
& ratione uxoris sceptrum Judaicum ad se ra-
puit , postquam pater ejus homo astutus & va-
fer viam ad id straverat. 3^{tiò}. Si Evangelista-
rum narratio non est verbum Dei , erat saltem
historia palam in Jerusalem Judæa totoque or-
be promulgata , quæ omnium Judæorum ocu-
lis exposita aperta potuisset convinei falsitatis,
si loco historiæ inanes fabulas protrusisset , nec
confirmata , quæ de Christo narrantur ab Evan-
gelistis,

gelistis, fuissent ab ipsis insequentibus historicis Judæis Christi fidem non amplexis v. g. Josepho Hebræo l. 18. Antiquit. c. 9. 4to. Si impostor fuit Christus, & non potius verus Dei filius, qualem se esse & dicebat palam & miraculis probabat, ideo iis oggerens ut si non ipsi saltem operibus ejus crederent. Si inquam impostor fuit, cur Deus tam multa eventura v. g. subversionem totalem Jerosolymæ ei revelavit? cur ad arbitrium ejus omnipotentiam suam ei accommodavit in tot faciendis miris, v. g. oculos aperiendo cæci nati, suscitando Lazarum jam in sepulchro fætentem palam & coram Judæis magno numero præsentibus. 5to. Denique quotiescunque Israëlita & Judæi seorsim grande commiserunt nefas Deum v. g. delendo, Prophetas occidendo, puniti sunt inmissione hostium, translatione ad locum alterum, captivitate, &c. post annos tamen 30. 40. 80. denuò eorum misertus Deus eos restituit in pristina. Si Christus fuit impostor & non verus Messias, eum occidendo, crucifigendo non merebantur à Deo pœnam, jam autem ex eo, quod eum non receperint tanquam Messiam, sed tam dira tormenta, & dirissimam ejus necem à Pilato extorserint; & sanguinis ejus, si innocens esset, pœnam super se ac filios suos expoposcerint; videmus eos à 17. sæculis & ultra tam dira pati à patria extorres, omnium ludibriis & vexis expositos per orbem vagari. Ergo grande & inexpiabile nefas in occidendo Christo legemque ejus proculcando commiserunt.

runt. Nec vera potest esse eorum religio, quæ absque eo in tribus cæremoniis ac sacrificiis suis typus tantùm & figura erat novæ legis & sacrificii tam cruenti quàm incruenti in lege gratiæ. Figurato autem existente figura cessat, & hanc cessare nunquid evidens est ex Prophetia Danielis c. 6. ubi dicitur : *Quod post hebdomadas sexaginta duas à reædificato templo Jerosol. occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est, & Sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo, deficiet hostia & sacrificium, erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* Nunquid jam à Titi temporibus, qui Jerusalem cum templo subvertit, usque huc hæc omnia Danieli à Gabriele Angelo prædicta sic se habent ? & quid plus ô cæci Judæi ex scripto, quod admittitis, verbo Dei ad plenam vestram convictionem potestis exigere.

2dò. Patiter pro Mahometana religione non possunt majora ac certiora credibilitatis motiva apparere, quàm pro cæteris & Christianâ præcipuè religione, quia à Deo infinitè sancto ac verace non potest provenire tam impia secta, adeo manifestè sibi contradicens & stupida. *Primò.* Quia præter cæteras spurcicias Mahomet supremam hominis felicitatem in corporis voluptatibus constituit ; & Deum remuneratorem fingit idololatriæ & cujuscunque superstitionis ac infidelitatis ; dum quemvis in sua religione posse salvari asserit. *2dò.* Principia aut regulæ credendorum, quas ponit in suo Alco-

rano manifestè sibi contradicunt. Inficiatur enim Christi divinitatem, & tamen fatetur fuisse illum virum sanctum, magnum, Deo charum, ac ipsis quoque Mahometanis honorabilem Prophetam. Cùm tamen impiissimus sine dubio, Deoque summè injurius fuisset, si simul Deus non erat, qualem se esse dicebat; & id non veris miraculis, sed imposturis Diabolique ope probasset; ut Judæi criminabantur eum in Belzebul Principe Dæmoniorum ejicere Dæmonia. *3tio.* Religio Mahometana non fuit propagata nisi armis efferaum & ignorantium gentium, à quibus ipse Mahomet omnem scientiarum culturam severâ lege amovit, ne cultiores factæ malè cohærentiam Alcorani sui facile agnoscerent, quod Turcæ nostris temporibus in bellis Hungaricis capti, moribusque respectu gentis barbaræ satis exculi ingenio etiam sufficiente præditi ad dignoscendum verum à falso sapiùs se agnoscere contestati sunt. Ergo, cùm ut hætenus vidimus, nec motiva credibilitatis manifesta pugnent pro Gentilismo, Paganismo sive Mahometanis, nec Judaismo, sed potiùs manifestè constet has omnes sectas in Christum ut Messiam non credentes falsas esse. Sola superest religio eorum, qui se Christianos vocant, quæ debeat aut possit esse vera religio, sed cùm ab ipsis Apostolorum temporibus præter Catholicam, hoc est universalem religionem tot fuerint inter Christianos sectæ mox ab hoc mox ab illo profeminatæ; quæ & sibi invicem & Catholicæ religioni

gioni contradicunt : hinc modò examinandum, an non homo ingenuus, prudens, salutis suæ æternæ amans, seposito omni sinistro affectu, duritiâ cordis, ac imprudenti præoccupatione consideratis impartiali animo considerandis deprehensus sit, quod præ cæteris sectis omnibus eorum, qui Christiani vocantur, sola & unica Romana Catholica religio multò credibilior digniorque assensu prudente ei appareat. Fides est utique donum Dei, & verbum Dei revelatum debet simul credendos separatim articulos nobis exponere ; ut jam tum supra præmonui, sed modò agitur de motivis credibilitatis, ex quibus per rationem erui potest. Quænam religio præ aliis veros à Deo revelatos nobis fidei articulos credendos proponat, qui ex sincero animam suam salvandi ac Deo placendi studio examen illud ingreditur, ei utique præterea suadendum est, ut Dei lumen & gratiam in bono contra omnem respectum humanum, ac metum perdendi temporalia confortantem humiliter ac jugiter exposcat.

Quartò. Ostenditur inter omnes Christianorum sectas seu divisiones unicam veram ac salvificam fidem esse in Ecclesia Romano Catholica.

DEmonstrari hoc potest tum ex generalibus credibilitatis motivis (quæ dum Gentilismum, Atheismum, Sincretismum, Judaismum, Mahometismum funditùs evertunt, sectas quoque Ecclesiæ Romano Catholicæ oppositas

positas in Christianismo subvertunt) tum ex peculiaribus ulterius motivis, adeoque vera fides duplicis generis argumentis stabilitur.

Primi generis argumenta sunt sequentia, *imūm* petitur ex puritate & sanctitate doctrinæ Ecclesiæ Romano Catholicæ, quæ in omnibus punctis & rationi vel maxime consentanea est; & ad eximiam sanctitatem ob despectum terrenorum, & solam æternorum bonorum consecrationem homines ita disposuit, & adhuc actu disponit, ut homines innumeri utriusque sexus, in omni statu ætate conditione, Principes, nobiles, ignobiles, omni sapientiâ præditi, doctrinâ ac scientiis exculsi, omnibus voluptatibus, honoribus, divitiis contemptis ac proculcatis, soli virtuti, perfectionique & divinæ Majestatis cultui se totos consecrarent. Non potest autem arbor mala tam bonos fructus facere, & teste Christo veritas doctrinæ ex fructibus dignosci debet. Quomodo huic Ecclesiæ comparari potest secta vel gentilium sive alia? quæ non consilia tantum Evangelica eliminat, sed & ipsa præcepta Dei servatu impossibilia esse asserit, negat bona opera ad salutem necessaria esse, solamque fidem aut fiduciam v. g. in Christi meritis sufficere mordicus contendit. An hoc est viam ad sanctitatem sternere, & non potius ad quævis scelera? & quomodo Christus sive Deus ipse, qui humanam ideo naturam assumpsit, ut visibili exemplo virtutem & sanctitatem homines doceret, talium sectarum autor ac propagator esse potest?

2dum argumentum petitur ex admirabili Christianæ religionis propagatione, & ejusdem usque modo per tot sæcula stupenda adeo perseverantia, ut vel inde tantum dignosci debeat; quod vera religio, de qua Christus dixit; quod portæ inferi nunquam contra eam prævaliturae sint, alia esse non possit, quam Romano Catholica. Considera igitur *primò*, quomodo religio hæc, licet multa doceat supra omnem captum adeoque creditu difficilia: & præcepta contineat non pauca sensualitati & vitiosæ hominum inclinationi valdè adversantia (qualia non sunt, quæ sceleribus fræna laxant sub prætextu solam fidem sufficere) nihilominus nullâ armorum vi, nullis persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, nullâ temporalis alicujus commodi spe vel promissione, sed solâ expectatione futurorum per paucos ignobiles, & in speciem simplices homines in omni patientia & mansuetudine persuasa sit mortalibus, & ita breve intra tempus propagata, ut & armatâ Tyrannorum potentissimorumque Regum ac Imperatorum sævitiâ frustra obistente, & eorum, qui mundi hujus sapientes habiti sunt, astutiâ nequidquam oblucente, orbem ferè totum repletet non ferro domitum, sed ligno ut acutè Augustinus arguit; & Christus crucifixus Judæis quidem scandalum, gentibus autem teste Apostolo stultitia prædicatus, ab omnibus ferè gentibus adoraretur. V. August. lib. de vera relig. hoc argumentum egregiè deducentem, interim hic reflectere juvat; quod sicut Gen-tilis-

tilismus, Mahometismus, Lutheranismus, Calvinismus non tali patientiâ & mansuetudine, sed ferro, rebellione, armis, & innumero profuso sanguine propagatus fuit, itâ & ultimis sæculis v. g. ab Indiarum Apostolo S. Francisco Xaverio aliisque innumeris viris Apostolicis religio Romano-Catholica apud Gentiles, Paganos, Hæreticos eâdem patientiâ & mansuetudine propagata sit, & milliones hominum ad veræ Ecclesiæ gremium adducti sint. Non potest autem esse, quòd illa religio solidis non sit suffulta motivis ac fundamentis, quæ eodem modo sicut cepit, itâ adhuc propagatur. Considera *secundo*, quòd non minùs ex talis religionis perseverantiâ, quàm ejus propagatione luceat: eam non posse non autorem habere Deum, nam licet ex una parte, ut jam dictum continet ram multa & creditu & observatu difficilia, & ex altera parte non tantùm à Gentilibus, Judæis, Paganis, Saracenis exagitata sit, sed & ob Arianos, Nestorianos, Monathelitas, aliosque innumeros, qui ab ejus se gremio separârunt, & Principes, Reges, Imperatores erroneis suis infecerunt principiis, potentissimos habuerit hostes, qui ferro & igne jam à tot sæculis eam persecuti sunt, & ad nostra usque tempora persequantur. Nihilominus ea tamen integra semper permanet, & in persecutionibus ipsius numero & merito aucta est & augetur, itâ ut ipse etiam Martyrum sanguis tam in terris Gentilium & Paganorum, quàm Hæreticorum factus esse videatur semen Catholicorum.

3tium Argumentum petitur 1mò. Ex præcipuorum post Christum ac Apostolos Sanctorum Patrum Ecclesiæque Doctorum autoritate. *2dò.* Ex incredibili innumerorum omni ævo Martyrum constantiâ ac fortitudine. *3tîd.* Ex ipsa mirabili, quam veri Christi cultores videntibus & agnoscentibus Ethnicis in dæmones exercuerunt, potestate, quæ sicut olim Arianis, ita & Luthero volenti Dæmonem expellere non successit. Quanquam & hoc inficiandum non sit; quòd Catholici Præsules diligenter & sedulò invigilare debeant iis, qui prætendunt se exorcismis suis Dæmones cogere ad deserendos, quorum corpora obsederunt homines, ne per indoctum, vel etiam lucri aut famæ avidum hominem superstitionibus simplices fideles imbuantur, & protestantibus materia cavillandi suppeditetur. *4tò.* Ex innumeris miraculis in confirmationem religionis nostræ patratis, quæ omnia in oculis plurimorum per homines integerrimæ vitæ perpetrata, & ad Dei cognitionem ac gloriam, honestatem morum, & ad diaboli regni destructionem contribuentia, à Deo tantùm & non à Dæmone potuerunt provenire. Qui aliàs coram Pharaone in Ægypto per Magos, Romæ per Simonem Magum coram Nerone, & alibi ad superstitionis aut hæreseos errores hominibus instillandos non vera miracula, sed mira in oculis hominum effecit, & hinc illi, ad quos attinet, utique ex fundo examinare debent, an vera sint, quæ simplicibus sæpè apparent, miracula. Cæterùm sicut
teste

teste S. Petro Apostolo per vera miracula ostendere quis debet se à Deo missum. Ità Luthero, Calvino, aliisque id vel ex eo maximè necessarium erat, cum se missos à Deo jactarent ad totam doctrinam veterem tot Martyrum sanguine, tot SS. PP. & Generalium Conciliorum testimoniis confirmatam subvertendam. Demum ex Angelico Doctore l. 1. contra Gentes & Augustino l. 22. de Civit. Dei cap. V. Hoc unum adhuc adjunxisse dilemma juvat pro stabilienda Catholicæ religionis veritate; vel veris miraculis ostendit Deus eam esse religionem veram, & sic quilibet ratione utens convictus est eam esse veram, vel sine miraculis simplici prædicatione in omni patientia & doctrina homines ab educatione Barbari, à natura ad terrena propensi, aut etiam à variis scientiis inflati inducti sunt, ad credendum tam ardua, operandum tam difficilia, sperandum tam alta & inconceptibilia, & hoc ipsum omnibus signis mirabilius, & præ omnibus miraculis maximum esset, quod provenire non posset nisi à Deo per hoc ipsum veritatem religionis suæ, quam ut Messias & Mediator Deum inter & humanum genus instituit, confirmante. Sicut jam ex his tribus argumentis sequitur, Christi Ecclesiam habere manifesta credibilitatis signa præ Gentilibus, Mahometanis, Judæis, &c. ità & religionem Christi Romano-Catholicam eadem habere præ veteribus & nostri temporis Hæreticis. Sed modo ad ulteriora, & respectu horum magis peculiarium descendamus motiva.

*Hujus ergo 2di generis argumenta petuntur primo ex multitudine infinita Catholicorum, adeò, ut quòd August. Manichæis, quos deseruerat lib. de utilit. credendi, olim objecerat. Idem Romano Catholicus cuius nostrorum temporum sectæ oppositæ jure objicere valeat. Nullis me video credidisse, nisi popularum atque gentium confirmata opinioni ac fame admodum celeberrime. Vos autem (respectivè ad Catholicos in orbe toto) Et tam pauci, Et tam turbulenti, Et tam novi, nemini dubium est, quin nihil dignum autoritate præferatis. Quod sanè Lutheranis & Calvinistis verè exprobrari potest, nam & Schismatici & Hæretici, Græci ac Orientales populi in materiis præcipuis de Eucharistia, Ordinatione, Consecratione Episcoporum ac Sacerdotum, de bonis operibus, cultu Sanctorum, &c. cum Catholicis tenent non cum ipsis, & ipsi in Germaniâ, Angliâ, Daniâ, Sueciâ, Poloniâ, qui se Lutheranos aut Reformatos vocant, ità denuò in sectas sibi invicem contradicentes subdivisi sunt; ut quælibet ità subdivisa respectu sectarum omnium sibi contrariarum, & multò magis Ecclesiæ Romano-Catholicæ per orbem totum diffusæ reverà exigua sit, nec Catholicismi nomen sibi arrogare possit. Et hoc aliter evenire non potest, cum homines isti tot in materia religionis decisores, quot vel Principes credenda præcipientes, vel Ministellos in autoritate constitutos, vel novaprudentes habent, ut ab annis non multis in aliquot ditionibus *Jung-Lutherisch contra Alt-Lutherisch**

Lutherisch insurgere videamus; & Lutherus jam tum suo tempore conquestus est nova sectarum monstra indies exurgere. Quid [quod] ipsa Augustana Confessio ab ipsis ejus Architectis multoties immutata sit, & Lutherus in sola de Eucharistia quæstione sibi sæpiùs contradixerit, & hinc non sine causa veræque fidei nota teste August. *ista Ecclesia* [Romano-Catholica] sola obtinuit, ut, cum omnes Hæretici se Catholicos dici velint, querenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus Hæreticorum basilicam suam audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta Christiani nominis carissima vincula rectè hominem credentem tenent in Catholica Ecclesia. Verum id adhuc esse expertus sum in itinere per septentrionales ditiones, imò & vidi protestantes varios Catholicorum Sacerdotum concionibus frequentes interesse, eò quòd utile saltem documentum aliquod de studio virtutum, & fugâ vitiorum ex iis haurirent. Cum proprii illorum Prædicatii convitiis ratione doctrinæ diversæ se invicem ex ambone proscinderent, imò & ex hoc numerus cujuslibet sectæ sive Lutheranæ sive Calvinisticæ indies imminuitur, quod sapientiores & magis emunctæ naris, notantestam multa indigna, aut sibi contradicentia, in sectarum istarum autoribus contineri; iis ut hominibus vitiis ac erroribus implicitis auctoritatem, quam prætendebant, in articulis fidei decidendis denegent; & solum sibi Dei verbum sufficere asserant, certosque tantùm fidei articulos, ut à multis se contradictionibus expediant,

diant, admittant, cæteris ad scholas amandatis
controversiis. Sed præterquam, quod vera
Christianorum religio dare non possit liberam
per incerta opinionum vagandi licentiam; hæc
ipsa, quam allegant Scriptura, accedente ma-
ximè spiritu cujuslibet privato iterum hos ipsos
inter se dividit, & ad paucorum idem in omnibus
prorsus fidei punctis sentientium numerum re-
digit, & quid pronius est? quàm ut semel de-
structâ genuinâ fidei regulâ, vi cujus credenda
à non credendis unicè infallibiliter separari pos-
sunt, quilibet velut naufragium passus, ad an-
tiquam redire Ecclesiam renuens, tabulas quas-
cunque, hoc est intellectos juxta suum pro-
prium critirium S. Script. textus ad se tuendum
arripiat; atque inde eruitur alterum manife-
stum credibilitatis signum pro fidei Catholicæ
veritate; quod 2dò petitur ex certâ credendo-
rum regula, vi cujus quilibet ad veram fidem
aspirans ad eam debet posse devenire. Hæc
Scriptura sola non potest esse, tum quia etiam
quoad illa, quæ ab ipsis protestantibus de fide
esse creduntur, obscura est, ut vide infra fu-
sius, ubi ex professo agitur de Script. S. & nec
Lutheranus, nec Calvinista ex ea sola convince-
re poterit Arianum & alios Hæreticos, qui vel
Christo, vel Spiritui sancto divinitatem dene-
gant. Cùm textus pro & contra ex ea adduci
possint, tum quia omnia, quæ Lutherani vel
alii sectarii tanquam à Christo præcepta obser-
vant, ex sola Scriptura erui non possunt, v. g.
de die Dominico loco Sabbathini celebrando.

Item quòd sola & vera forma baptismi sit *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Act. 15. Siquidem Petrus dixit: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU*, & sic Samaritani dicuntur baptizati à Philippo. Item quot sint Sacramenta à Christo instituta, an immersio sit de essentia baptismi, & quòd modò liceat nobis comedere sanguinem volatilium, & suffocata in lege naturæ Mosayca, imò & in lege Evang. Act. 15. prohibita, æquè ac fornicationem, ubi & notari merentur hæc verba: *Misimus Judam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem.* Sic ergo primum Apostolorum Concilium non tantum Epistolæ à se conscriptæ, sed & verbis seu traditioni fidem adhiberi volebat, idem inculcat Apostolus 2. Thessalonic. 2. *State & tenete traditiones, quas didicistis sive per epistolam nostram, sive per sermonem.*

Sed nec verbum scriptum cum tradito potest esse adæquata regula fidei, nec cum hoc Spiritus privatus, quem pro se citant sectarii, qui tamen & quoad credenda, & quoad observanda sibi contradicunt. Equidem de Spiritu S. dixit Christus Joan. 14. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*, & Joan. 16. *Docebit vos omnem veritatem.* Sed Spiritus ille privatus non est Spiritus Sanctus, qui sibi contradicere non potest, sed Spiritus S. est, qui assistit Ecclesiæ universali; ut nec fallat, nec falli possit in rebus fidei. Sicut Is. 59. prædixit Deus: *Cum venerit Sion Redemptor (verus promissus Messias) Spiritus meus, qui est in te (cætu fidelium)*

delium) & verba mea qua posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore feminis tui, & de ore NB feminis feminis tui (per os ad os fit traditio per succedentes Christi Vicarios) dicit Dominus amodo, & usque in sempiternum. Et hinc Christus statuens Petrum Ecclesie suae petram, contra quam portae inferi praevaliturae non essent, & dans ei aliisque Apostolis solvendi ac ligandi potestatem, dixit Apostolis ac Discipulis suis: qui Ecclesiae tunc adhuc numero non adeo amplae praeerant, qui vos audit, me audit, Luc. 10. & Matth. 18. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et Aggaei 2. Hec dicit Dominus Deus exercituum, interroga Sacerdotes legem. Et Eccl. 12. dicit expressè Deus: Qua per Magistrorum consilium data sunt à Pastore NB. uno, his amplius fili mi ne requiras. Et cum sine Ecclesiae auctoritate constare non possit de principio fidei, scilicet quodnam verè sit verbum Dei scriptum aut traditum, nam Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia moveret auctoritas, ait August. quomodo sine ea inter tot sibi invicem contradicentes sectas, & Scripturam pro se citantes potest homo salutem suam in vera fide quaerens habere regulam aliquam, cui se conformando ad fidem veram deveniat? hinc August. in Ps. 57. Diversa hereses diversa schismata personant, linguae multa contradicunt veraci doctrine, tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, & protegèris in tabernaculo à contradictione linguarum. Et hic fuit

fuit perpetuus usus & consuetudo Ecclesiæ à primo sui exordio usque huc, ut quoties novæ circa fidem & religionem exortæ sunt controversiæ, Ecclesiæ iudicio in concilio legitimo congregatæ, definitæ fuerint, & qui apertis ejusmodi definitionibus acquiescere volebant, hoc ipso in Hæreticorum numero habebantur, sic dum ab initio controversia exorta erat, an circumcisio & veteris legis cæremoniæ à Gentilibus ad Christum conversis observandæ essent, idque ex Script. præcisè dirimi non posset. Non dixerunt Apostoli visum est Scripturæ & nobis; *sed visum est Spiritui Sancto* (cujus assistentiam perpetuam nobis Christus promisit) & nobis. Sic eodem afflante spiritu in 2do sæculo decisa est quæstio de Paschate celebrando, & contrarius *quartodecimanorum* error condemnatus. In 3tio sæculo sic Novitiani & Anabaptistæ. In 4to Ariani & Macedoniani. In 5to Nestoriani & Pelagiani, in sequentibus sæculis Hæretici alii in conciliis œcumenicis; sicut in ultimo Conc. generali Tridentino Calvinistæ & Lutherani condemnati sunt, ubi & notari meretur, nullos errores circa certos fidei ac morum articulos à nostri temporis Hæreticis allatos esse, qui jam tum in prioribus conciliis non fuerint ab Ecclesia condemnati, ut examinanti patebit.

3tio. Motivum credibilitatis evidens pro Ecclesia Romano-Catholica est *unitas* constans ac perpetua in eadem doctrina, quam quatuor prima Concilia Ecclesiæ tradiderunt, successio perpetua summorum in sede Petri Pontificum demum

demum potestas clavium, & quod inter Lutheranos, Calvinistas, &c. veri Sacerdotes non sint, quæ & alia pro Ecclesia Romano-Catholica militantia, ne hic nimius sim, in seqq. §. §. prout ratione materiæ substratæ erit occasio, peculiaribus subseccionibus prosequar, & cum in subseccionem hac prima de cultu-latriæ sive soli ac uni Deo debito egerim, in §. autem præcedente non tantum de Deo, sed cælitibus quoque actum sit ratione piarum ex rebus occurrentibus elevationum mentis, subnectere quoque oportet ea, quæ ratione cultus Deiparæ, Angelorum & Sanctorum, sive cultus Dulix ac Hyperdulix nobis cum Hæreticis controversa sunt. Frustra hi rident distinctionem à Majoribus acceptam inter cultum latriæ, hyperdulix, dulix. Græca vox *latria* includit *supremum servitium & honorem*, vox *dulia* simpliciter *servitium*, *hyperdulia* denotat *cultum ac honorem majori apud Deum scilicet Deipara debitum*. Nec hic de vocibus altercandum, sed videndum, in quo sensu sumantur à Catholicis.

De Cultu Deipara.

E Am Ecclesia veneratur ut Dei matrem *cultu hyperdulia*; cum ipsa ratio dicat Dei matrem cæli ac terræ, Angelorum & hominum Reginam præ cæteris puris creaturis omnibus colendam esse. Si enim Salomon Regesque terreni honorari volunt matres suas, & Deus honorari velit præ cæteris eam, quam ipse præ

cæteris elevavit, cur non & homo quilibet ratione utens Deum & rationis ductum sequens eam præ cæteris honorabit? Oratio *Ave Maria*, qua B. V. salutamus, partim ab Angelo, partim à S. Elisabetha, partim ab Ecclesia est concinnata. Nunquid bona res imitari Angelos, sequi Sanctos, & matri Ecclesiæ morigerum se præbere? O insensati & impii Hæretici! qui auderis dicere Mariam nil habere præ cæteris mulieribus, cur honorètur, si ratio apud vos extincta est, nunquid verbum Dei vos docet, quòd sit mater Christi & simul Virgo? quòd Deus ad eam miserit Angelum Gabrielem, quòd hic illam gratiâ divinâ plenam nominet, quòd Elisabetha afflante Spiritu S. eam præ cæteris omnibus mulieribus benedictam esse afferat? Durum verbum auribus Reformatorum! *Ora pro nobis Maria*, sed dulce & mellitum fuit omni antiquitati, ut patet ex mediet. S. Aug. & innumeris SS. PP. textibus. Furiosorum ad instar canum allatrant nos, quòd numericè Deum & Sanctos invocemus v. g. rosarii globulos volvendo, sed nunquid laudabile? quòd opus bonum (citra superstitionem, quòd à certo numero infallibilis pendeat effectus) sapiùs iteretur, ter quater stipem erogare melius est, quàm semel, quòd sapiùs invocamus Dei matrem tanquam primam apud Filium Patronam nostram, eò crebriùs ipsum quoque honoramus, quòd sapiùs invocamus Angelos & Sanctos tanquam patronos apud Deum secundarios, ut suâ nos intercessione apud Deum adjuvent; eò frequen-

quentiùs Divinæ supplicamus Majestati. Circa orationis numerum habemus in S. Script. multifaria exempla, David septies de die laudem dixit Domino Ps. 111. Daniel ter in die orabat. Dan. 4. Esdras cum universo populo quater in die & quater in nocte orabat Dominum Esd. 1. Scriptura S. [ut videbimus infra] inculcat nobis beneficia ab Angelis, hominibus præstita, vultque nos aliorum hominum apud Deum patrocinium quærere, & si verbum Dei desuper scriptum non esset. Nunquid si sanam rationem sequi velim, deferre debeo plus antiquæ Ecclesiæ universalis praxi & tot sanctis prudentissimis juxta ac doctissimis viris SS. Ecclesiæ Doctoribus, universalibus Conciliis, quam uni Calvino antiquas hæreses recoquenti, & Deum ac Cælites inhonoranti? dum Deum autorem peccati facit, Christum in cruce desperasse, tormenta damnatorum in inferno sustinuisse, & in horto Gethsemani jam tum eas pati cepisse dicit l. 2. instit. c. 16. & l. 3. institutionum c. 25. animas Beatorum necdum frui promissâ gloriâ, sed omnia usque ad adventum Christi adhuc manere in suspenso, & lib. 1. instit. c. 3. beatos Angelos non sincerè nec absque peccato inservire Deo calumniatur.

*De cultu Angelorum, etiam Angeli Custodis cui-
libet homini assignati.*

Riformati identidem oggerunt Angelum Apoc. 22. recusasse adorationem & hono-

rem sibi à Joanne exhibitum, eò quòd confes-
 sus ejus esset, sed jam dudum respondit Aug.
 contra Faustum c. 21. & quæst. 62. in gen. quòd
 Joannes putârit Angelum tam augustâ sibi Ma-
 jestate apparentem esse filium Dei, quòd si, ut
 alii hunc textum explicant, scivit esse Ange-
 lum, honorem ei debitum cultu dulciæ exhibe-
 re voluit, quem tamen Angelus à Joanne totâ
 Christo prærogativis ornato recipere noluit.
 Cæterùm Josue obvium sibi Angelum tenentem
 gladium evaginatum soluto de pedibus calcea-
 mento adoravit Jos. V. & Jacob Gen. 32. ab An-
 gelo benedictionem petiit, & Gen. 48. oravit
 ut Angeli benedictio super filios nepotes & uni-
 versam suam posteritatem diffundatur. Ad hæc
 adoratio in Script. non semper significat latriæ
 cultum, Abraham adoravit filios Heth Gen. 31
 & Gen. 18. adoravit in terram tres viros stan-
 tes propè eum. Idem fecit Loth Gen. 19. &
 postmodum id adhuc magis fecerunt adverten-
 tes eos esse Angelos, & Dei gerentes vices ra-
 tione excidii Sodomæ: quomodo to adorare
 non semper significet cultum soli Deo debitum.
 V. ulterius in Ep. Tarasii Episc. Constantinop.
 apud Menil. l. 35. Doct. & Displ. Eccl. Pag. 600.
 Et cur non honor debitus exhiberetur Angelis
 tanquam intercessoribus apud Deum pro homi-
 nibus, & totius beneficia conferentibus? nun-
 quid obvia desuper exempla sunt in Script. cum
 Loth Gen. 19. Angelum, à quo eductus fuerat
 cum suis è Sodomis, pro incolumitate urbis Se-
 gor deprecaretur, & ipse respondit: Ecce

etiam

etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem, pro qua locutus es. Sic Zach. 1. Angelus orat pro populo Judaico dicens: Domine exercituum, quousque non misereberis Hierusalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Et Tob. 12. Raphael leniori dicebat Tobia: quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquens prandium tuum mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Sic Apoc. 8. Angelus dat super altare aureum de orationibus Sanctorum, & si Christus non voluit contemni ullum pusillum ob Angelum ejus Custodem; quomodo non ipsos vult honorari Angelos? Ne contemnatis dicit Matth. 18. unum ex his pusillis, dico enim vobis, quoniam Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei. Ergo praeterquam quod ab hominibus ob beneficia, quae iis praestant, honorari debeant, etiam ideo teste Christo colendi sunt, quod visione Dei perfruantur intimaque amicitia. Calvinus in Ps. 90. & in comment. in Acta Apost. fabulosum esse ait, quod unicuique detur Angelus Custos, sed imprimis pusilli, de quibus loquebatur Christus, habebant suos Angelos. Si hi, cur non & alii? certe Hieron. l. 3. comment. in c. 18. Matth. inde idem inferens exclamat: Magna dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Qualis desuper fuerit primorum Christianorum five Judaeorum in Christum statim ab ejus in caelum ascensu credentium sensus, patet ex c. 12.

Act. ubi legitur, quòd Petrus agnoverit se ab Angelo ex carcere eductum, & quòd, cum pulsaret januam, primò aliqui non crediderint esse Petrum, sed dixerint: *Angelus ejus est.* Inde Chrysoft. aliique PP. rectè denuò ingerunt, communem semper fuisse opinionem fidelium, cuique homini à prima nativitate Custodem Angelum Calitibus adjungi; imò & tunc modò persuasionem fuisse multis ex post historiis confirmatam, quòd Custodes Angeli clientum suorum subinde speciem vel personam induant, quòd Angeli etiam in figura humana homines Deo caros protegant, alia prætereundo, patet ex lib. 2. Machab. c. 10. ubi legis sequentia: *Cum vehemens pugna esset, apparuerunt adversariis de calo viri quinque in equis frœnis aureis decori ducatum Judais præstantes, ex quibus duo Machabeum medium habentes armis suis circumseptum incolumem conservabant, in adversarios autem tela & fulmina jaciebant. Interfecti sunt autem viginti millia quingenti & equites sexcenti.* Sic I. 4. Reg. c. 19. *Angelus Domini percussit in castris Assyriorum centum octuaginta quinque millia in una nocte.* Ergo Script. ratio sensus communis omnium fidelium nil clamat aliud, quàm Angelos colendos esse, ut Dei amicos & nostros parronos.

De Cultu Sanctorum.

Quia Christus Matth. 22. dicit beatos fueros sicut Angelos, & Matth. 25. vocat illos *bene-*

benedictos Patris sui, & Deus vult, ut à probis hominibus adhuc viventibus quæramus pro nobis apud ipsum intercessionem, sicut Paulus idè ad Coloss. 4. & 1. Thessal. 5. dicit: Fratres, orate pro nobis. Quid obstat, quò minùs Sancti in cælo Angelis similes faciem æterni patris, cujus benedicti vocantur, videntes & pro nobis apud Deum intercedentes à nobis honorentur & invocentur, qui propter has ipsas intercessiones plurima nobis confert bona. Hec omnia in clarissimis & plurimis habes S. Script. locis, v. g. Gen. 48. Jacob nepotibus suis Josephi filiis benedictionem elargiens hâc precandi formulâ utitur: Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in presentem diem, Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque Patrum meorum Abraham & Isaac. Deus Ezechieli 4. Reg. 19. promittit, se urbem Jerusalem protecturum propter David servum suum, tres pueri ad ignem condemnati Dan. 3. ità orant: Ne quæsumus auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac servum tuum, & Israel Sanctum tuum. Onias & Jeremias vitæ sanctitate conspicui jam pridem vitâ functi orant Deum pro populo Judæorum. 2. Machab. 15. S. Petrus Apostolus à Deo edoctus se brevi ex vita migraturum in Ep. 2. c. 1. dicit: Dabo operam frequenter habere vos post obitum meum, ut horum memoriam faciatis. Hoc est memor ero vestri apud Deum orando pro vobis, ut horum monitorum meorum vic-

cissimam memoriam & praxin habere vos faciat. Unde interpretes Chrysoft. aliique SS. Patres inferunt; cum tantam curam gerat S. Petrus, aliique Sancti in cælis Ecclesiæ in terris, meritò eos à nobis honorari debere, & hinc à primis Christianitatis temporibus fideles Martyrum, & sanctorum hominum morientium se commendabant patrocínio, ut in cælos recepti pro ipsis apud Deum intercederent. In hac fide S. Cyprianus ad Corneliū Papam scribens l. 1. Ep. 1. dicit: *Si quis nostrum prior divina dignationis celeritate precesserit, perseveret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.* In hac fide mortui sunt fideles omnes, & SS. Patres. Qualis autem impudentia Ministelli cujusdam Calvinistæ audentis effutire? SS. Patres hac in materia suæ Theologiæ oblitos eloquentiam suam hyperbolicis ostentare voluisse. Verum, quòd unus Mediator & Advocatus sit Christus apud Patrem semper interpellans pro nobis supremus scilicet & primarius per excellentiam & eminentiam omnimodam, cujus pretiosus sanguis dignificare debet Sanctorum, & in hac & in altera vita intercessionem ac preces pro nobis, inde tamen non sequitur, quòd fidelis in hac vita & viventium & mortuorum sanctorum hominum intercessionem apud Deum quærere non debeat, eosque tanquam Advocatos secundarios honorare & invocare. Ipse Deus rem totam decidit Job. 42. ubi dicit ad Eliphaz Theraanitem: *Iratu est furor meus in*

te & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut servus meus Job: ite ad servum meum Job, & offerite holocaustum pro vobis, Job autem servus meus orabit pro vobis, faciem ejus suscipiam, quo ab ipsis facto suscepit Dominus faciem Job pro iis intercedentis, quid clarius dici potest? Calvinista non potest oggerere, fideles viventes posse mereri pro aliis utpote necdum in termino constitutos; quia ipse in suis principiis libertatem consequenter & meritum negat, sed non agitur hic de merito, sed quod Deus velit honorari à nobis Sanctos, & apertis declarat verbis propter intercessionem Oniæ, Jeremiæ Abraham, Isaac, Jacob, David, &c. se hæc illa præstare beneficia. Impius est sermo Hæreticorum cavillantium Sanctos nec habere aures ad nos audiendum, nec perspicillum ad videndum. O nugatores sacrilegi! potuitne Abrahamo existenti in limbo [V. c. 16. Luc.] innotescere Epulonem prosperitate suâ abusum esse; & Sancti in cælo non poterunt cognoscere necessitates nostras? Elisæus in hac mortali vita in corde suo vidit absens Giezi servum suum duo talenta argenti & vestes mutatorias accepisse à Naaman Syro, 4. Reg. 5. & Sancti eodem illuminante Deo nil poterunt videre è cælo? V. Aug. l. 22. de Civ. Dei c. 29. Si vis scire modum, ecce quadruplicem. Primo possunt videre necessitates nostras aut preces ad eos in amplissimo speculo divinæ essentiæ, cujus intuitu perfruntur, vel etiam eas intelligere ex speciali Dei revelatione; si enim

multa revelavit Deus Prophetis in terris; cur id non faciet in cælis, & quomodo sine scientia, quid agatur in terris, possunt 24. *Seniores offerre orationes Sanctorum?* Apoc. 5. 2dò. Sancti de necessitatibus aut precibus nostris ad eos fufis possunt certiores fieri mediantibus Angelis è cælo ad terram, & à terra ad cælum teste S. Script. commeantibus. 3tio. Per relationem animarum in Christo defunctorum, & ad cælestem gloriam admissarum. 4to. Potest intellectus Sanctorum incredibili quâdam subtilitate à Deo donatus nostra cognoscere. Hunc 4tum modum V. in Ep. Augustini ad Evodium in relatione admirandæ cujusdam visionis Genadio Carraginensi medico factæ. Demum si preces aut necessitates nostras non semper viderent aut perciperent Sancti in cælo, nunquid tamen Deus ob Sanctos à nobis invocatos velut apud ipsum intercessores nos exaudire potest, & sæpè exaudit? nunquid ipse clarè in Scriptura toties protestatur, se ob ipsos aut eorum intuitu, quibus dixit: *Dii estis vos*, & quos à nobis ut amicos suos honorari vult, hæc illa beneficia præstare mortalibus? vide plura huc facientia Tom. 3. Ludovici de M. snille S. J. Doct. & disciplinæ Eccles. l. 34. à pag. 521.

De donis votivis, cultu Reliquiarum, & Imaginum Sanctorum.

SI David 1. Reg. 21. gigantis Goliathi gladium loco sacro dedicavit, cur non & similia armorum

morum genera appendi poterunt in Ecclesiis ob
obtentam ad invocationem alicujus Sancti à
Deo victoriam ? cur non oculi, pedes, manus
in argento vel auro ob memoriam curatorum,
per Sanctorum invocationem similium mem-
brorum ?

Et quia Deus per ossa Sanctorum multa sæpè
facit miracula, sicut 4. Reg. 13. mortuus, & in
eodem, in quo S. Propheta Elisæus sepeliebatur,
sepulchro conditus ob contactum ossi-
um hujus Sancti statim revixit. Quis jure ve-
tabit ea honorari ab hominibus ? umbra S. Pe-
tri Act. 5. infirmos sanabat. Idem Act. 19. præ-
stabant sudaria & lemicinctia S. Pauli, & quis
jure denegabit honorem rebus ejusmodi à Deo
per tot miracula honoratis & illustratis ? ejus-
modi reliquias Conc. Nic. vocat *Fontes saluta-
res*, per quos Deus in mortales rorem sue gratiæ
defluere facit. S. Ambr. Serm. de Sanctis Na-
zario & Celso *Honoro*, inquit, *in carcere Mar-
tyris exceptas pro Christi nomine cicatrices*, hono-
ro *viventis memoriam perennitate virtutis*, hono-
ro *per Confessionem Domini sacros cineres*, hono-
ro *in cineribus semina eternitatis*, honoro cor-
pus, *quod mihi Dominum meum ostendit diligere*,
quod me per Dominum docuit mortem non timere.
Hæc benè perpendant Hæretici pietatem Ca-
tholicorum explodentes, & tandem agnoscant,
quomodo in Sanctis eorumque reliquiis, ima-
ginibus, &c. colatur Deus. S. Greg. Nazianz.
ideo in oratione contra Julianum ejus insecta-
tur impietatem ; quod Sanctorum reliquias, &
per

per hoc Deum aded inhonoravit. S. Hieron. ided egregiè retundit vigilantium Reformato-
 rum nostrorum Progenitorem inter cætera di-
 cens: *Te offendit, quod videas Sanctorum reli-
 quias velis pretiosis involutas, magis placeret, si
 sordidis involucris clauderentur, aut omnino in
 communem civitatis cloacam conjicerentur, ut vi-
 gilantius ebrius aut dormiens solus adoraretur.*
 Hoc mihi incidebat, dum Hamburgi & alibi
 ante annos aliquot in templis Catholicis à Pro-
 testantibus ereptis, vidi reliquias, imagines
 Christi, B. V. & SS. destructas & sublatas, & lo-
 co horum omnium imagines prædicantium eo-
 rumque uxorum. Superi! ergo imagines in
 templis ponuntur uxorum DD. Prædicantium,
 & sunt in honore, & si quis eas luto impeteret,
 plebs ab iis concitata ageretur in furias, & non
 erit licitus sensus aliquis pietatis aut justæ mœ-
 roris? dum imagines Christi, benedictæ ejus
 matris & Sanctorum, quos Deus in S. Script.
 vult ab hominibus honorari, tam indignè ab
 Hæreticis tractari videt. Quisquis vestrum DD.
 Protestantes vel scintillam rationis habet, aut
 eâ utitur, benè novit, quod lignum lapides
 colores, quibus sacræ exhibentur imagines, Ca-
 tholici non adorent; sed quod per ea repræ-
 sentatos honorent, sive D. N. J. Christum sive
 Sanctos, & in ipsis Sanctis & cum ipsis Sanctis
 laudent Deum. Benè Hieron. ad Vigilantium:
*O caput absque cerebro! quis unquam adoravit
 Sanctos ut Deos? cultu scilicet latriæ. Vos
 DD. Reformati honoratis imagines Majorum
 vestro.*

vestrorum, quia hos ipsos vobis repræsentant,
& laudabilium ab ipsis gestarum rerum memo-
riam ingerunt, iustissimeque iis indignaremini,
qui eorum imagines deturparent, aut eorum
ossa è sepulchris eruerent, vel in cloacam pro-
jicerent, licet sæpè contingere possit ea ipsa
ossa non esse majorum vestrorum, nam vobis
sufficit, quòd ipsa pro talibus habeantur, &
cur ergo furiosâ rabie detonatis in Catholicos
velut in Idololatrias? quòd in honore illis sint
ea, quæ putantur vera esse Sanctorum ossa; aut
eorum imagines ex quacunque demum materia
fabrefactæ. An non jam dudum progenitori-
bus vestris Iconoclastis cum S. Aug. respondit
Ecclesia? Idololatriam in hoc consistere, quòd
aliquid adoretur *pro Deo, quod Deus non est,*
non autem quòd Sanctus honoretur *ut fidelis*
servus Dei; Dominum Deum tuum adorabis, &
ipsi soli servies; dicebat Christus Dæmoni se-
tentanti, quia Diabolus promittebat ei omnia
regna mundi, si cadens adoraret eum, sive ve-
ro Deo relicto divinos ipsi honores deferret.
Nos quò magis honoramus Sanctos ut servos
Dei, eò magis satisfacimus voluntati ipsius pa-
tris-familias Matth. 21. qui agricolas, eò quòd
servos suos & novissimè filium suum malè tra-
ctassent, perdidit, & vineam suam locavit aliis,
sive regnum Dei ac veram religionem à Judæis
ad gentes transtulit, Sanctos & Angelos *cultu*
Dulia Deiparam *cultu hyperdulia* prosequimur,
ut jam dictum. *Primo.* Quia sic suos à morta-
libus Deus vult honorari, *2do.* Ut accensi de-
fiderio

siderio eos imitandi varios virtutum affectus nobis inculcemus. *3^{to}*. Ut eorum apud Deum intercessione sublevemur. Hinc S. Leo Papa in natali S. Laurentii benè dicit: *Mirabilis Deus in Sanctis suis, in quibus nobis presidium constituit & exemplum.* Idem Ecclesia in omnibus orationibus de sanctis Angelis & Virgine Deipara contestatur, quas sub initium & finem semper ad Deum dirigit. V. plura in Mesnil S. J. de doctr. & discipl. Eccles. l. 35. pag. 569. & 573. ubi inter cætera leges, quomodo S. Stephanus Monachus coram Constantino Imperatore Iconoclasta doctrinam primigeniam Ecclesie de cultu imaginum Christi & SS. propugnârit, ostenderitque eam in sex primis C. C. generalibus traditam esse, ipsamque sanam rationem edocere; quòd, si impunè non liceat dehonoreare imaginem Imperatoris viventis, quia hic à Deo constitutus est Dominus in terra, multò minùs liceat dehonoreare imaginem Dei viventis Christi Regis Regum, Angelorum & Sanctorum, qui, quia in cælis regnant ut amici Dei, magis in imagine sua honorandi sunt, quàm terreni Reges. His aliisque auditis Clerici, Episcopi, & præsentis Sæculares coram Imperatore fassi sunt, se à Stephano victos & convictos esse. Legi quoque meretur de eadem materia in eodem Mesnil l. c. pag. 591. Epistola Hadriani Papæ ad Imperat. Constantinum & Irene. Item pag. 586. quomodo Constantinus Imp. Iconoclasta ob destructa templa in honorem SS. erecta, prostratas Christi, B. V. &

& SS. imagines, Monachos ob constantiam in fide & cultu Sanctorum necatos, alios blanditiis & minis seductos, ut vota Deo facta sacrilegè violarent, & carnales, ut postmodum Lutherus ejusque sequaces fecerunt, sectarentur spurcicias, à Deo punitus sit morbo in crura immisso divinitus, & feбри subin vehementissimâ, ardoreque Medicis ob incendii vim penitus ignoto, afflictus in navi mortem obierit vociferans, se etiam adhuc viventem igni nusquam extinguendo addictum esse. Hos inter cruciatus miser postulavit S. Virginem & Dei Genitricem Hymnis & Laudibus celebrari, qui hostis ejus infensissimus vixerat. Ecce finem unius ex Protoparentibus sectariorum nostri temporis, qui gnauiter ejus vestigiis institerunt. Deus illuminet corda cæcorum. Juxta propositum libelli hujus his ultra immorari non possum, Lege Mesnil l. c. pag. 595. ubi inuenies Nicænam 2dam synodum super præsentibus aliisque controversiis inchoatam esse Anno 787. & leges Francos eorumque Regem Carolum malè à quibusdam Orientalibus sectariis informatos esse contra hanc synodum à pag. 605. & ideò contra eam ad Hadrianum Papam missos esse ita nominatos *Carolinus Cibros*. Qui eo ipso, quod impugnârint Nicænam synodum, quasi imagines cultu-latriæ, qui soli Deo debetur, adorandas esse definivisset, facilè ab Hadriano in responso ad Regem dato refutati sunt; ubi Papa docuit ex S. Greg. & Ecclesiæ Catholicæ, & synodi hujus doctrinâ imagines honorari ob
memo-

memoriam ejus, quem repræsentarent, ideoque iis osculum & honorabilem salutationem deferri, non autem latriæ cultum, qui soli Deo debetur. Nos interim hoc (controversias quod attinet circa veram Dei religionem cultum latriæ Deo debitum, & venerationem Sanctis congruentem) jacto angulâ si lapide ad primarium hujus libelli scopum scilicet mentis in Deum ex rebus occurrentibus elevationem ordine in præmio descripto redeamus.

§. 2dus.

Cæli Inferiores.

Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Pl. 83. Cæli stellarum, planetarum, firmamentum sunt atria cæli empyrei, sive sedis Beatorum, quam ergo hac pulchra & splendida esse debet. *Martine*, dicebat subin Luthetus sibi metipso súdo cælo firmamentum sub noctem intuens: *qualem patriam perdidisti! quam dilecta tabernacula tua Domine.* Pl. 83. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Pl. 18. *En Domini Dei tui calum est & calum cæli, & tamen Patribus tuis conglutinatus est Dominus, & amavit eos.* Deut. 10. Qualem amorem ergo ille cæli Dominus ostendit Catholicis religiosis? *Mellor est dies una in atris tuis super millia.* Pl. 83. Si dies una in atris est super millia annorum

in mundo hoc cum omni sua pompa & gaudiis.
Quid ergo erit dies una in cælo empyreo in con-
sortio Christi, Deiparæ, omnium Angelorum
& Beatorum hominum, & visione Dei Trini
& unius?

Astra, Sol, Luna, Stella.

Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes
stella & lumen, laudate eum cæli calorum,
& aqua omnes, quæ super calos sunt, laudate no-
men Domini. Ps. 148. Ex parte aquarum, qui-
bus totum spatium à terra usque ad cælum em-
pyreum complebatur, efformavit Deus cælos
inferiores, aquas instar chrystalli congelando,
& ut æs fusum consolidando. Partes crassiores
sub cælis partim in aera & ignem, si quis super
aera sit, convertit, partim in maria & flumina,
& subterraneas abyssos distribuit. Subtiliores
verò aquarum partes supra firmamentum reli-
quit partim ad ornatum universi, partim ad præ-
ripiendum nobis adhuc exulibus in pœnam pec-
cati prospectum cæli empyrei, cæteroqui in
oculos certè nostros casuri ob splendidissimam
lucem suam, utcumque à nobis quasi infinitè
distet.

Benè monet Apost. ad Ephes. 6. v. 12. *In-
duere armaturam, ut possimus stare adversus in-
sidias Diaboli, adversus Principes & Potestates,
adversus mundi Rectores tenebrarum harum con-
tra spiritualia nequitia in caelestibus.* Ratione
cujus observa i mo Dæmones, qui Principes &
Po-

Potestates vocantur, esse ex Angelorum ordinibus sic vocatis; & ex illis plurimos cecidisse quis miretur? cum ceciderit ex primo ordine Caput & Princeps omnium Lucifer. 2dò. Vocantur *spiritualia nequitia in caelestibus*, id est, spirituales nequitiae vel nebulones in sublimibus locis & aere degentes. Communis enim teste S. Hieron. Patrum opinio est, aerem istum plenum esse Dæmonibus, in eoque procellas, turbines, tempestates cieri non raro, quibus noceant hominibus servato inter se etiamnum ordine suo naturali, ut inferiores scientiâ & nequitia subsint superioribus; quò possint commodius & acrius bellum hominibus inferre. Post extremum autem iudicium cessante jam sine hoc verosimile est, nullum amplius pariturum alteri in inferno, & hoc teste Chryf. aliisque insinuare videtur Paulus I. Cor. 15. dum ait in extremo iudicio: *Evacuandum omnem principatum, & potestatem, & virtutem.* 3. Si tam potentes ita subordinatos ergo nebulones tibi insidiantes habes, ait idem Chryf. *Quomodo queso deliciaris? quomodo inermis superabis?*

Permanebit [Regnum Christi] cum sole & ante lunam: 10 ante idem hinc significat *ac cum,* & sensus est tam diu staturum, quam diu sol cum luna erit) *in generatione & generationem.* Ps. 71. Idem prædicitur Ps. 88. de regno Christi in hoc mundo: *Terronus ejus sicut sol in conspectu meo [fulgens] & sicut luna perfecta (in plenilunio splendens) & testis in caelo fidelis,*

Iris signum fœderis inter Deum & homines, sol, luna Iris erunt usque ad finem mundi.

Homo sanctus in sapientia sua manet ut sol, stultus sicut luna mutatur. Eccl. 27. *Stella à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* 1. Cor. 15. quoad discrimen scilicet meritorum. *Orietur stella ex Jacob.* Num. 24. *Vidimus stellam ejus in Oriente.* Matth. 2.

Miracula circa Solem.

STetit sol in medio cali. Non fuit antea, nec postea tam longa dies obediēte Domino voci hominis. Jos. 10. *Reversus est sol decem lineis, (adeoque non tantum umbra in horologio Achaz, ut volunt aliqui) per gradus, quos descenderat.* Is. 38. *In diebus ipsius retro rediit sol.* Eccl. 48. Sicut ergo Jos. 10. simul omnia astra & cœli steterunt, sic jam omnia retrocesserunt. Alioqui, sole solo recedente, majori, nec necessario miraculo totus cœlorum ordo perturbatus fuisset. Id tamen probabilius non quasi in momento contigit: sed successivè sol impendit in regressu primùm 5. horas, & dein iterum alias 5. atque ita totis 10. horis fuit hoc miraculo dies auctus. S. August. de mirabilibus Script. l. 2. c. 48. notat: hoc signum *literaliter* significasse retexendam esse telam vitæ Regi Ezechia. *Tropologicè* convertentibus se cum Ezechia ad Deum per pœnitentiam reditum in pristina merita & gratiam. *Allegoricè* Christum in passione sua totis 10. lineis, id est, summè

mè infra novem Angelorum choros & decimum gradum hominum descendisse, rursumque inde longè altiùs ascendisse ad Patrem.

Duo ergo miracula stupenda contigère in veteri lege circa solem stantem & retrogredientem. Unum adhuc in Evangelio legimus factum esse circa obscuracionem solis moriente Christo, & alterum, ante diem Domini magni, adhuc futurum expectamus. *Tenebrae factae sunt super universam terram, & obscuratus est sol, & clamans voce magnà, JESUS exspiravit.* Luc. 23. Sicut autem Dionysius Arcopagita exclamavit: *Aut auctor natura patitur, aut mundi machina dissolvetur*: sic dissolutione hujus mundi instante *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stella cadent de caelo.* Matth. 24. Sive motibus agitatae inusitatis, omnique lumine subitò spoliatae videbuntur omnes excidere de caelo. Accedent Cometae, & similes ignitae constellationes, quae ex aëre in terram praecipitabuntur. *Virtutes colorum commovebuntur*, id est, ipsa caeli fundamenta & cardines insolitis moribus disturbari videntur, & haec mundi expirantis, & quasi animam agentis erunt symptomata. Sicut Microcosmus, sive homo moriens motis humoribus, obtenebratis oculis, &c. simile quid experitur. Ad haec *caeli ardentes solventur*, syderei probabiliter velociùs tunc agitabuntur, & secum rapiant caelos aëreos pingui vapore plenos ad celeriolem accensionem ignis, quo mundus conflagrabit, excitandum *Elementa* [scilicet aëris inferioris

ris regio terræ vicina, maria, terra, & in ea montes, rupes, saxa, metalla instar ceræ liqueſcent, & in primogenea ſua elementa reſolventur) *ignis ardore tabeſcent* (cùm enim omnia mixta ad uſum temporalis vitæ hominum condita ſint: eâ ceſſante, utpote nullius jam uſûs, ſuis ſingula reſtituentur principiis & elementis.

Cæli & Terra nova.

Novos verò cælos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius exſpectamus, in quibus *juſtitia habitat.* 2. Petri 1. Novos cælos intellige non ſecundùm ſubſtantiam, ſed qualitatem, nempe magis lucidos. Simili modo & novam terram, hoc eſt novo decore, puritate, fulgore & ornatu ſplendentem. Quòd, ſi jam parvuli ſine baptiſmo mortui in terra hac nova habitent, in qua per ſpecioſa iſta in terra nova & novis cælis ſemper excitabuntur ad Deum amandum ac laudandum; tunc & verificabitur illud, quòd *in terra nova juſtitia habitat.*

Descriptionem aliquam extremi judicii vide Pl. 97. & in Cant. Habacuc.

Sidera errantia, Ignes fatui.

Sidera errantia, quibus *procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.* Ep. Judæ v. 19. Et ignes fatui viatores in præcipitia deducentes ſunt ſeductores quoad fidem & mores: & ideò in tenebras ignis avernalis præcipitabuntur

§. 2.

Globus terraqueus, Nubes, Tempestates, Venti,
partes anni, Elementa.

Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ
indica mihi, si habes intelligentiam. Quis
posuit mensuras eius, si nōsti? vel quis tetendit su-
per eum lineam? super quo bases illius solidate
sunt? aut quis demisit lapidem ejus angularem?
Job. 38. Ecce quæstio, quam omnes simul do-
ctissimi homines solvere non poterunt. Stu-
penda res! punctum est in medio cælorum am-
bientium quasi pendulum globus terraqueus, &
tamen Deus firmavit orbem terræ, qui non com-
movebitur. Pl. 92i O si totum terrarum orbem
punctum esse apprehenderent, qui vel ob hæc
illa respectivè exigua bona instantur, vel tem-
merè litigant propter unum agrum. Sancti, ad
quorum tumbam consistimus, florentem mundum
mentis despectu calcaverunt. Ecce jam mundus
in se ipso aruit, & adhuc in cordibus nostris flo-
ret, ubique mors, luctus, desolatio, & undique
amaritudinibus replemur, & tamen cæcâ mente
carnalis concupiscentia ipsas ejus amaritudines
amamus, fugientes sequimur, labenti isharemus.
Greg. Hom. 28.

Iris, Nubes.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit sig-
num fœderis inter me & inter terram.
Gen.

Gen. 9. Licet enim iris ex causis naturalibus oriatur : posuit tamen eam Deus tanquam *signum fœderis ad placitum*. Et quia colore suo cœruleo & rubro in memoriam revocat, semel periisse mundum per aquam, & ultimò interiturum per ignem : hinc aptissimum est medium, ut homo id perpendens à peccato absterreatur, & pacem cum Deo servet juxta illud Ps. 59. *De-disti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcûs. Videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & majestate.* Matth. 24. *Tunc patebit signum filii hominis.* Ibid. Id est, Crux, columna, spinea corona, lancea, clavi tanquam trophea. Chrysof. Cum aliis vult, ipsissimam fore crucem, cui affixus est Christus. Alii volunt fore ejus similitudinem.

Videntibus illis elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Act. 1. Moraliter id intellige de nube passionum elevationem mentis in Deum impediente. *Nubes & ventus, & pluvia non sequentes vir gloriosus, & promissa non complens.* Prov. 25.

Symbola virtutum generoso in pectore sunt,

Incorrupta fides, promptior ore manus.

Dominus precedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, & Dux esset itineris in utroque tempore. Exod. 13. Sic in sensu morali & te Deus continuò ducit, ostenditque per desertum mundi hujus viam ad cælum velut terram promissionis. Nocte ante submersionem Ægyptiorum in mari rubro stetit nubes *inter castra Ægyptio-*

rum & Israelitarum, ita ut ad se invicem accedere non valerent. Exod. 14. Erat autem nubes tenebrosa posteriore sui parte, qua respiciebat Aegyptios, ipsis & aspectum & accessum ad Hebraeos impediens, anteriore vero sui parte erat lucida & flammea radios lucis suae emittens ad tota castra Hebraeorum, & sic illis viam per mare demonstrans, in quo Aegyptiorum submersa sunt 30000. Equitum, 200000. Peditum, & sexcenti falcati currus. Aquae in mari rubro sunt pellucidae, rubrum autem vocatur ob arenam ejus rubeam. Admirare providentiam Dei erga amicos suos, potentiam & justitiam erga inimicos suos. Item reflecte, quod sacri textus de Messia Christo Judaeis ex malitia sua excœcatis sint nubes tenebrosa Christianis lucida lucis suae radios emittens. Sic & Haereticis, (utcumque S. Scripturam claram esse dicant,) impiisque Catholicis verbum Dei tenebrae sunt.

Tonitrua, Fulgura, Tempestates.

Vox tonitruum in rota (sive curruum Pharaonis rotas evertens in mari rubro) illuxerunt coruscationes tuae orbi terra, commota est & contremuit terra. Pl. 76. Incolae terrae, imò & ipsa terra sapè tremunt à fragore tonitruum. Vox Domini intercidentis flammam ignis (intercidentis fulgura, & divisa spargens fulmina) Vox Domini preparantis cervos. Pl. 28. Ad partum scilicet præ terrore, cervae enim teste Jobo difficillimè pariunt, tonitruum autem fragore teste

Plinio tremefactæ fœtum effundunt, Sic peccator differens pœnitentiam fulmine sive physico sive morali, v. g. vivâ imaginatione inferni territus virus peccati ejicit. Et in hoc sensu etiam intonuit de celo (sæpè in S. Script. cælum pro aère ponitur) Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis [fulmina & fulgura sic appellantur] & misit sagittas suas (fulmina hæc sunt irati tela trifurca Dei) & dissipavit eos ; fulgura multiplicavit , & conturbavit eos. Pl. 17.

Nix.

NUnquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis respexisti? Job. 38. Nempe multa scire vis, & originem eorum, quæ toties vides, non intelligis. Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor. Pl. 50. Per pœnitentiam. Tegens fœnecum aut sterquilinum nix symbolum hominis pulchri, sed peccatoris.

Pluvia.

Expectabant me sicut pluviam, & os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Job. 29. Hoc verificatur in homine sacrâ doctrinâ & eloquentiâ apud proximum fructificante. Terra venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Hebr. 6. Terra cor humanum, quod cum imbre divinæ gratiæ profert fructum.

Venti.

Fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Job. 28. Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: & congregabit electos ejus a quatuor ventis. Matth. 24.

Quatuor anni Tempora.

Tu fecisti omnes terminos terra, a statem & ver, tu plasmasti ea. Job. 73. Cunctis diebus terra sementis & messis, frigus & aestas, aestas & hyems, nox & dies non requiescent. Gen. 1. Considera providentiam, sapientiam & potentiam Dei. Redimentes tempus (genuinâ penitentia & majori in posterum fervore) quoniam dies mali sunt. Ephes. 5.

Lux, Tenebrae.

Post tenebras spero lucem. Job. 27. Post adversa vitæ hujus cælum, & post hoc, quod me conturbat, consolationem à Deo. Fuerunt rebelles lumini. Job. 24. inspirationi divina. Dilexerunt magis tenebras quàm lucem. Joan. 3. Via impiorum tenebrosa, nesciunt ubi corrumpant. Prov. 4. Illuminabit abscondita tenebrarum. 1. Cor. 9. Abscondita quæque patebunt. Lucet lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Matth. 5.

Annus.

Fiant luminaria in firmamento cali, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos. Gen. 1. Unde annus lunaris & solaris. Ipse **JESUS** erat incipiens quod

ANNORUM 30. Luc. 3. Dum cœpit evangelizare. Per hoc ipse non indigens præparatione tibi eam ad Apostolicum manus vult inculcare. *Ecce anni tres sunt; ex quo venio quærens fructum in ficulnea, & non invenio. Succide ergo illam, dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, in futurum succides illam.* Luc. 13. *Detis avertat, ne id tibi contingat, postquam Angelus Custos tuus toties pro te Deum interpellavit. Idem ipse es, & anni tui non deficient.* Hebr. 1. *Unus dies apud Dominum sicut 1000. anni.* 2. *Pett. 3. Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, quæ præterit. Imo sicut una custodia de nocte, anni nostri sicut aranea meditabuntur [intellige id passivè, hoc est, æstimabuntur, vel activè sic intellige, in annis nostris nos occupabimus instar aranæ; quæ se exhaurit & eviscerat in texenda tela unâ manu vel digito dirumpendâ] Dies annorum nostrorum in ipsis 70. anni, si autem in Potentatibus [hominibus firmæ complexionis] 80. anni, & amplius eorum labor & dolor.* Ps. 89. *Nam tempus ultra 80. annos ordinariè plenum morbis, miseriis, &c. Memor fui dierum antiquorum. Ps. 142. & annos aternos in mente habui.*

Mensis.

Hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis. Luc. 1. *Deus dat, quod petis, si constanter petas, & tuæ salutis non officiat. Quis mihi det, ut sim juxta menses pristinos?* Job. 29. In

80 *Pars secunda de elevatione*
primævo fervore. *Lignum vitæ afferens fructus*
duodecim, per menses singulos reddens fructum
suum. Apoc. 22. Similia in cælo pertinent ad
gaudia accidentalia. In terris per hoc lignum
anima de virtute in virtutem quot mensibus
proficiens adumbratur.

Hebdomas.

Post hebdomadas 62. occidetur Christus. Dan.
9. A tempore scilicet instauratæ plenè Je-
rosolymæ. Hæ hebdomadæ 62. conficiunt an-
nos 483.

Dies, Nox.

Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut
umbra prætereunt. Pl. 43. *Dies diei eructat*
verbum, & nox nocti indicat scientiam. Pl. 18.
Nempè dies quilibet ad alium fundit quasi ser-
monem, & nox ad alias noctes transmittit sci-
entiam de Deo omnium conditore: cujus po-
testatem & sapientiam declarat perpetua illa vi-
cissitudo. *Gloria magna est sequi Dominum: lon-
gitudinem enim dierum assumetur ab eo.* Eccl. 24.
Cum quietum silentium continerent omnia, & nox
in suo cursu medium iter haberet; omnipotens
sermo tuus de regalibus sedibus venit. Sap. 18.
Sermo ibi est de exterminio Ægypti, sed opti-
mè id Ecclesia applicat Christo nato 25. Decem-
bris in media nocte. *Sicut in die honestè ambu-
lemus* (hoc est, palam coram Deo & homini-
bus) *non in ebrietatibus, impudiciis.* ad Rom.
13. *Memoriâ digni sunt septem dies, quibus*
&

& ultimo quidem die septies debuerunt circumire urbem Jericho Israelitæ cum arca, dum in septimo circuitu *muri corruerunt.* Jos. 6. In sensu *allegorico* mundus expugnatus ab Apostolis clangentibus prædicationis tubis designatur. Cogita etiam sæpè de diebus ultimis, qui, si non essent abbreviandi, non fieret salva omnis caro. *Item illud ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.*

¶ Reflecti etiam potest ad duos per hebdomadam dies, finem, & initium hebdomadæ, Sabbathinum scilicet & Dominicum. Sabbathi dies colebatur in L. V. in honorem Dei, eò quòd creato mundo, cælis, &c. septimo die requieverit ab omni opere. Dies Dominicus celebratur in lege gratiæ in honorem Christi, quòd eo die resurrexerit à mortuis, & priùs moriendo, dein resurgendo mortem pro nobis destruxerit æternam. Quidam ventri dediti Catholici expectatâ horâ noctis 12mâ die Sabbathi incipiunt vorare farcimina, & dicunt sic se sabbathinare more Italico. Si nil aliud attulerint Româ, melius fuisset mansisse in consuetudine patria. Judæi olim servârunt, & adhuc servant sæpè superstitiosè Sabbathum. Exod. 35. v. 3. Prohibitum iis erat in Sabbatho succendere ignem ad cibos parandos, iter facere ultra bis mille cubitos, quod erat *iter Sabbathi*, denique omne id facere, quod speciem haberet operis servilis. Excipiebatur autem semper casus necessitatis, & quando hæc illa sine periculo suû, vel rerum suarum nec differri, nec anticipari poterant.

Coctio etiam ciborum pro aegrotis vel aliis, qui pridie sibi cibos parare non poterant, pecorum adaquatio, pabuli subministratio, eorum in aquas vel puteum delapsorum extractio, &c. utrique etiam licita erat. Multò magis hosti irruenti resistere, vim vi repellere, non tamen ultrò aggredi, aut alia bellica citra necessitatem agere. Cæterùm sicut stulti fuere & sunt Judæi non audentes die Sabbatho alvum levare, cereos emungere, litteras referare, se contra hostem defendere 1. Machab. 2. Ità confundunt Christianos in tantùm, quòd totus Sabbathinus dies ab iis impendatur orationi, lectioni S. Script. in Synagogis. Dum Christiani diebus Dominicis & primariis festis auditione unius Missæ contenti pomeridianum tempus epulando, ludendo, saltando, se inebriando, & quod ex crapula sequitur, jurgiis aut Veneri litando verbis & operibus consumunt, etiam sæpè, dum manè ad cœnam accessere Eucharisticam. Punita est idèò Germania hæresi, & quas non penitus execrandus ille abusus meretur, omni conatu ac diligentia à potestate tam Ecclesiastica quàm sæculari eliminandus?

Hora.

*H*ora sexta tenebra facta sunt per totam terram usque in horam nonam. Marc. 16. Non tantùm per oppositionem densarum nubium aut interpositionem lunæ; ut vult cum aliquibus Origenes. Quia hoc non sufficit ad uni-

versalem toti orbi ecclipsin, qualem describit Evangelista, sed per subtractionem radiorum solarium. *Hora nona exclamavit IESUS voce magna, emisit spiritum.* Matth. 27. Sic exspiravit in Cruce agnus Dei eadem hora, qua agnus vespertinus seu jure sacrificium offerebatur in templo. Hora nona nostro computu est tertia post meridiem. *Estote parati, quia qua hora putatis filius hominis veniet.* Luc. 12. *Expost tempus non erit amplius.* Apoc. 10.

Elementa. Ignis.

Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Il. 33. Et tamen aut peccitendum aut ardendum. *Ita maledicti in ignem aeternum.* Matth. 25. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* Cant. Moys. *Uniuscujusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.* 1. Cor. 3. *Sicut igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Prov. 17. *Ignis scilicet tribulationis. Et haec orationi conjuncta curtissima est ad perfectionem via. Non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiae intulit.* Dan. 3. *Symbolum viri perfecti, qui non frangitur adversis. Item divinae providentiae ac potentiae, quod nihil noceat justis, si Deus eos praeservet. Super collecta Synagoga peccantium, & consummatio eorum*

84 *Pars secunda de elevatione*
rum flamma ignis. Eccl. 21. Apparuerunt illi
dispertita lingua tanquam ignis. Act. 2. Ure-
nes meos & cor meum. Pl. 25. Id illuminando
& accendendo contra ignem impurum. Tria
sunt insaturabilia, & quartum, quod nunquam di-
cit, sufficit, Infernus, & os vulvae, & terra, qua
non satiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, suf-
ficit. Prov. 30. scilicet ira, luxuria, avaritia, &
ignis ambitionis, Ignem veni mittere in terram,
& quid volo, nisi ut accendatur. Luc. 12. Sic ab
igne dictus Ignatius, dicebat suis, quos in diver-
fas mundi plagas tanquam viros Apostolicos
mittebat, ut & incendite omnia sacro amore Dei.

Aer Vapores.

Natus accepi communem aërem, & in simi-
liter factam decidi terram. Sap. 7. Eodem
modo nascitur & moritur Rex & mendicus.
Cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur
tanquam mollis aër, & transibit vita nostra tan-
quam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur,
qua fugata est à radiis solis, Sap. 2. Ità dicebant
impii in futurum nil sperantes. Sic pugno non
quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum,
& in servitutem redigo. 1. Cor. 9. Nos, qui vi-
vimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis
in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper
cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem
in verbis istis. 1. Thessal. 4. Percussiat te Domi-
nus [transgressorem legis] egestate, febre, &
aere

aëre corrupto ac rubigine, donec pereas. Deut.

28. *Aër corruptus symbolum est malæ societatis. Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Ep. Jac. 4.*

Aqua.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Gen. 1.
Juxta communem id non de vento, sed Spiritu S. intelligitur; qui juxta textum Hebraicum instar volucris ova excludentis *incubabat aquis*, non motu locali, sed voluntate suâ ac potentiâ Divinâ, quâ illas fecundabat, calorem quasi vitalem aspirans, vim feminalem ac prolificam indens, & aptas procreationi reddens; ut inde mox, obstreticante eodem Spiritu, & pisces, & germina, & aves, quin & cæli producerentur. Nam, ut sequitur v. 7. *fecit Deus firmamentum*, seu orbem omnes cælestes *in medio aquarum*, h. e. ex vasta illa abyssi & mole aquarum, quibus totum spatium à terra usque ad cælum empyreum complebatur. Hinc aqua benè dicitur, à qua omnia. *Viderunt te aqua Deus [maris rubri] viderunt te aqua, & timuerunt, & turbata sunt abyssi. Pl. 76.* Tribuitur hîc more Poëtico rebus inanimis sensus, & ostenditur, quomodo aquæ in mari rubro præsentia & potentiâ Dei perterrefactæ præter morem refugerint relictâ transituris Israëlitis viâ, & ipsæ maris abyssi ab utraque parte instar muri constiterint. *Quid tibi vis in via Egypti? (religiosè declinans ad illecebras mundi) ut bibas*

86 Pars secunda de elevatione
bibas aquam turbidam. Jerem. 2. Omnis, qui bi-
bit ex aqua hac (omnibus terrenis deliciis) sitiet
iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego
dabo ei, non sitiet in aeternum. Matth. 4. Omnes
morimur, & quasi aqua dilabimur in terram, qua
non revertuntur. 2. Reg. 14. Transivimus per ignem
& aquam, eduxisti nos in refrigerium. Ps.
65. Per varias tribulationes tentatos eduxisti nos
in irriguam, ut habet textus Hebraeus, id est,
terram bonis affluentem. In sensu ergo literali
intellige terram promissionis; mystico calum.
Continuò exivit sanguis & aqua. Matth. 19. Sci-
licet ex latere Salvatoris: qui ultimam sangui-
nis, & residui in corpore humoris guttam pro-
te effudit. Sicut factum est in diebus Noë, ita
erit & in diebus filii hominis, edebant & bibebant,
& venit diluvium, & perdidit omnes. Luc. 17.
Non poterant bibere aquas, eò quòd essent amara.
Cum autem lignum à Deo ostensum mississet
[Moyses] in aquas, in dulcedinem versa sunt.
Exod. 15. Allegoricè per id demonstratur virtus
Crucis Christi omnia amara reddens dulcia.

Terra.

Benedixisti Domine terram tuam, avertisti
captivitatem Jacob. Ps. 84. In novissimo
die de terra surrecturus sum, & rursus circum-
dabor pelle meà. Job. 19. Liquefacta est terra
(in die judicii) & omnes, qui habitant in ea. Ps.
7. Alia autem (semina) ceciderunt in terram
bonam. Matth. 13. Princeps Regum terra, qui
di-

dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Apoc. 1. Sicut fuit Jonas in ventre ceti 3. diebus & 3. noctibus: sic erit filius hominis in corde terræ 3. diebus & 3. noctibus. Matth. 12. In corde, h. e. interioribus terræ, secundum corpus in sepulchro, secundum animam in limbo 3. diebus non integris, sed primi diei ultimâ parte, & tertii primâ, cum toto secundo intermedio. Credo videre bona Domini in terra viventium. Pl. 73. Rorate cali de super, & nubes pluant iustum. Aperiatnr terra, & germinet Salvatorem. Il. 45. Deus Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Pl. 73. In globo vel mappa geographica apparet circiter in medio terræ esse Jerusalem, ubi Christus nos redemit.

CAPUT SECUNDUM.

Homines, & quæ circa eos tum in genere, tum circa varias eorum aetates, sexus, qualitates, status, conditiones, professiones, &c. mentem in Deum elevare, & salubria ingerere documenta possunt.

§. 16

De homine in genere, ejus creatione, redemptione.

Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Gen. 1. Unam ei scilicet naturam cum tribus potentiis memoriâ, intellectu &